



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

Liber CXII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)



HISTORIÆ
ECCLESIASTICÆ
LIBER CXII.

PIUS II. PONTIFEX MAXIMUS;
FRIDERICUS III. OCCIDENT.
IMPERATOR.

§. I.

Bessarionis Cardinalis legatio in Germaniam successu suo frustrata.

Jam olim Bessarion Cardinalis a summo Pontifice Legatus in Germaniam decernebatur, ut Principes Christianos ad bellum contra Turcas hortaretur. Sæcul. XV. A. C. 1460.

Hist. Eccles. Tom. XXIX.

A Ast

Sæcul. XV. Ast vix hoc anno ibidem advenerat, cum
 A. C. 1460. omnia turbis, ac dissensionibus susdeque
 versa cerneret, indeque legationis suæ
 successum præpediri intelligeret; Hun-
 gari enim Cæsarem bello premebant,
 eundem quoque Albertus ipsius frater
 & Austriæ Dux ob hæreditariam utrius-
 que portionem infestis armis invadebat.
 Præterea ipse Bohemiæ Rex clandestinis
 artibus imperii coronam Cæsari eripere
 moliebatur, jamque promissorum ampli-
 tudine sibi Moguntinum, & Palatinum
 Electores conciliabat, qui tamen adver-
 sus Imperatorem prævalere haud pote-
 rant, eoquod eorum conatibus Brande-
 burgenſis Elector pro viribus resisteret.
 Tam iniqua temporis ratione, rerumque
 vicissitudine factum, ut Cardinalis, cum
 ea, quæ Principes tam generose Mantuæ
 promiserant, effectui dari peteret, surdas
 ubique pulsaret aures. Quinimo non
 pauci in Papam querelas effundebant,
 quod decimas Clero indixisset, ejusque
 Legatus reservationum literas passim
 concederet. Summus Pontifex ut im-
 pactum crimen dilueret, apologiam con-
 scribere compulsus est, prout ex quadam
 ipsius epistola ad Cardinalem Papiensem
 scripta intelligimus.

§. II.

Sæcul. XV.
A. C. 1460.*Genuensium seditio adversus Gallos.*

Nec firmior erat Pontificis spes, qua si-
 bi auxilia a Gallis pollicebatur; in-
 testini enim Genuensium tumultus de
 exteris bellis cogitandi spacium Gallia-
 rum Regi denegabant; Calabriensis Dux
 Neapolin profectus, interea Genuensis
 Reipublicæ regimen Thomæ Valleæ, na-
 tione Gallo commisit. Verum ille ea o-
 pum abundantia carebat, qua populum
 sibi conciliare potuisset, unde Genuenses
 Gallicæ nationis imperium abhorrere cæ-
 perant, jamque in publicas criminatio-
 nes ac querelas erumpebant, spretisque
 Gallorum mandatis ubique divulgabant,
 quod Calabriae Dux unice, ut pro Nea-
 politana expeditione pecunias corrade-
 ret, publicum ærarium exhausserit, urbem
 ad extremam inopiam redegerit, ac de-
 nique ob auri penuriam commercium pe-
 nitus interruperit. Hos populi rumo-
 res non minus Flisci, quam Fregosii, alii-
 que Optimates a patria sua exules op-
 portune in rem suam vertebant, atque
 emissariorum opera usi, in vulgus spar-
 gebant, quod neglectis civibus nonnisi
 Nobiles muneribus ac dignitatibus au-
 gerentur. Interea, cum hæc seditionis
 primordia jamjam ferrent, Galliarum

Hubert.
Foliata hist.
Genuen.

Sæcul. XV. Rex Genuensibus præcepit, ut quasdam
 A.C 1460. naves, quibus contra Anglos indigebat,
 instruerent; hi autem spreto Regis man-
 dato obtendebant, nolle se Anglicæ Na-
 tionis invidiam sibi accersere, nec bona
 sua, quorum plurima gentis suæ Merca-
 tores in Anglia haberent, amittendi dif-
 crimem subire. Tandem vero seditio in
 apertas erupit flammæ, quæ primum
 suburbia, demum ipsam urbem promiscuo
 incendio involverunt; nam cuncti ad
 arma convolant, ipsiunque urbis Præfe-
 ctum ad arcem fugere compellunt.

§. III.

*Factiones prius inter se divisæ jam
 adversus Gallos unitæ.*

*Foglieta in
 elog. & hist.
 Genuens.*

*Bizarro hist.
 Gen.*

*Paul. Gui-
 siard. du
 Bellay.*

Fregosios & Adornios, quos hucusque ca-
 pitalis inimicitia diviserat, seditio-
 nis spes conjunxit. Igitur Fregosius seu
 Fulgosius urbis Genuensis Archiepisco-
 pus, & prosper Adornius suorum quis-
 que amicorum agmen ducunt, & cum in-
 genti armatorum turma Genuam ingre-
 diuntur; Dux quoque Mediolanensis,
 cum Gallos suæ ditioni adeo vicinos
 esse ægerrime ferret, atque Aurelianen-
 ses de ipsius Ducatu contendere haud i-
 gnoraret, seditiosos omni ope & opera
 fovit, eo consilio, ut & ipse depulsis Ge-
 nua Gallis, liberiori aura potiretur. Nec
 confi-

consilium eventus fefellit; quippe suo-
 rum amicorum, quorum plurimos in ur-
 be numerabat, ope adjutus, tam felici
 successu rebus suis consuluit, ut boni pu-
 blici obtentu Fregosios cum Adorniis,
 atque populo conciliaret. Hi novas im-
 perii leges stabiliunt, ac ipsum populum
 antehac exclusum, in regiminis partem
 vocant, & ex quavis opificum classe octo
 seligunt Viros, quibus consulares quoque
 fasces deferrentur; denique omnium
 consensu novus Dux eligitur Prosper Ad-
 ornus. Residuas porro Genuensium
 curas unice occupabat arcis, ad quam ur-
 bis Præfectus confugerat, obsidio, quæ
 etiam, Mediolanensium Duce copias
 suppeditante, toto armorum apparatu
 cæpta est.

Sæcul. XV.
 A.C. 1460.

§. IV.

*Galli a Genuensibus cæsi, fuga-
 tique.*

Cum interea Calabriæ Dux totus in eo
 esset, ut totum Neapolis regnum re-
 cuperaret, & jamjam parta tueretur, nec
 etiam pro reditu suo sese Genuensium
 classi comittere auderet, hinc Guberna-
 tor propugnandæ Genuæ spem unice re-
 positam habebat in militum supplementis,
 quæ mox comperta nova Genuensium
 seditione, in Galliis parabantur. Impe-

A 3

rabat

Sæcul. XV. A.C. 1460. rabat Renatus Andegavensis classi, cui mille veterani milites præter alia sex millia in Delphinatu recens conscripta, & Savonam transportata imponebantur. Hæ copiæ ad oppidum S. Petri de Arena exscensionem fecere, conspicientibus quidem Genuensibus, sed nequaquam sese opponentibus. Altera vero die prælium committitur; Galli infracta animi virtute dimicant, & penes eos prope stetit victoriae summa, nisi Fregosius Archiepiscopus, Genuensis exercitus Dux opem in astu militari opportune quæsitam, secundo successu invenisset. Sparsit enim per suorum castra rumorem, quod validas a Mediolanensi Duce suppetias præstolaretur; postea cum forte tres ejusdem Ducis Centuriones, fervente prælio, adventarent, illos montis cujusdam cacumen ascendere, datoque signo transmissi auxilii adventum denuntiare jussit; hoc militare commentum haud parum utrobique valuit; quippe Genuensibus animum reddidit, auxitque, Gallos autem trepidatione replevit, qui cum a recenti milite se jugulari pertimescerent, ut præcipiti fuga vitæ suæ consulere, certim ad suas naves convolarunt, desideratis suorum compluribus. Hac clade accepta Renatus Andegavensis Savonam appulit, Genuensibus urbis imperium relinquere compulsus. Ita nempe Gallos
jam

jam tertio ignominiose Genua ejectos vi-Saecul. XV.
dimus. A.C 1460.

§. V.

*Ducis Burgundiæ timor de bello sibi
inferendo.*

Nec tamen funesto hoc casu mutata est rerum facies in Galliarum regno. Burgundus continuis agitabatur curis, veritus, ne a Carolo VII. Rege bello opprimeretur, nec vanus quoque timor erat; potissima enim Regii Senatus pars id ipsum Regi suadebat, quorum tamen consiliis ipse, aliunde pacis studiosissimus Princeps, acquiescere noluit. Nihilominus Burgundiæ Dux missis ad Regem Joanne de Croy & Lannoyo Hollandiæ Præfecto metus sui causas exposuit, declaravitque, se omni jure conqueri, quod adversus eum nonnulli belli consilia foverent, præterea iidem Legati, Ducis sui nomine, Regi significabant, eorum Dominum, ut se Gallorum partibus addictissimum monstraret, ab Anglis defecisse, & per Atrebatensem concordiæ tractatum a se firmatum, pacis studio omnem justam licet indignationem ob inhumanam Patris sui cædem repressisse, Regique ad subigendam Normanniam strenue opem & operam tulisse; Nunc vero communi fama innotescere, Regem inito

Sæcul. XV. cum Anglis foedere, in Burgundiæ sta-
 A. C. 1460. tus invasionem meditari, Gallos quoque
 Atrebatensem tractatum sæpius violasse,
 quin tamen hucusque Dux conquestus
 esset; atque ideo summo animi sui mæ-
 rore percepisse, Regem contra se indigna-
 tionem fovere, eoquod Delphinum in suam
 Brabantia ditionem recepisset, se tamen ei,
 cum nulla Regis prohibitio obstaret, tan-
 quam futuro suo Domino ac proximo
 Regiæ coronæ hæredi asylum denegare,
 haud potuisse. Tandem Legati gra-
 tiam Regis pro suo Domino implorarunt,
 polliciti, Ducem longe addictissimum, ac
 ad omnia obsequia promptissimum fore.

§. VI.

*Responsum Regis ad Burgundi
querelas.*

Rex ad omnes hæc querelas arrogan-
 tius respondit, suamque cum Duce
 agendi rationem culpa liberavit, quæ ve-
 ro illius Legati contra eum proposue-
 rant, rursus in Ducem rejecit. Hu-
 jus responsi summa Oratoribus tradita
 est, præsentem ipso Rege. Aderant quo-
 que Aurelianensis, & Britannus Duces,
 Cenomanensis Comes, ceteri Proceres,
 cunctique consilarii. Altera die Legati
 supplicem denuo libellum Regi porrigunt,
 ad duo restrictum capita. Primo exag-
 gerabant

gerabant propensum erga Regem Ducis sui animum, quem omni tempore luculenter comprobatum dicebant. Secundo Regem exorarunt, ut suæ in Ducem indignationis causas articulatim exponeret. His responsum, satis superque Regem nuperrime mentem suam explicasse, eum quoque, si id necessitas suaderet, oportuno tempore animi sui consilia sigillatim manifestaturum. Cuncta hæc imminentis belli præludia videbantur, eo maxime, quod Delphinus jam tertium decimum annum a Regia abesset, ac toties a Patre suo frustra revocatus obedire detrectasset; præterea Rex sæpius Burgundiæ Ducem, ut Filium ipsius sibi reduceret, stimulaverat, eidem præsa-giens, quod serpentem, cujus quondam lethales morsus experiretur, in sinu suo foveret. Nec hic substitit Regis ira, sed etiam studiose varias Duci molestias creabat, minasque adjiciebat, tandem etiam, ut filii sui primogeniti pertinaciam plecteret, Carolo natu minori ætatis prærogativam concedere statuit. Ast præmaturus Juvenis hujus Principis obitus cuncta Patris consilia elusit; quare Rex Delphinum ad se redire jussit, ut Regno, quod ei soli pleno jure debebatur, potiretur.

Sæcul. XV.

A.C. 1460.

Sæcul. XV.
A.C. 1460.

§. VII.

*Exercitus a Regina Angliæ contra
Eboraci Ducem conscriptus.*

*Polyd. Vir-
gil. hist.
Angl.*

In Anglia Eboracensis Dux summæ rerum pro suo arbitrio præerat; quapropter Regina, cum Henrico Marito suo nil nisi nudum Regis nomen relictum ægerime ferret, duodeviginti millium exercitum conscripsit, cui suas quoque copias opemque jungebant Sommersetus, & I-facensis Duces, unacum Wilchiræ ac Devonæ Comitibus, Cliffordiæ Barone, plurimisque aliis Septentrionalis Angliæ Nobilibus. Paulopost Eboracensis bellicos hosce apparatus edoctus, suum quoque militem in aciem duxit, & cum Saresberienfi Comite Wakefeldam usque, quæ urbs est decimo quinto lapide ab Eboraco distita, progressus est. Priusquam vero itineri se accingeret, Regem Varvicensi Comiti, ac Norfolciæ Duci custodiendum tradidit, dato interea negotio Marchiæ Comiti, ut recentem colligeret militiam, eamque quam celeriter suis copiis adjungeret. Verum Reginæ solertia Comitis sollicitudinem prævenit; Illa enim cum exercitu suo prima comparuit, illiusque imperium in se suscepit. Eboracensis, nequicquam ob-
luctante Saresberienfi Comite, prælii dis-
crimen

crimen experiri statuit, ne eidem obijci Sæcul. XV. A.C. 1469.
 posset, quod pugnam adversus foem-
 nam declinasset. Verum brevi sera ni-
 mis poenitentia Ducem subiit.

§. VIII.

*Eboracensis a Regina prælio victus,
 atque occisus.*

Placuit Eboracensi cum supremo impe-
 rio suis præesse copiis, eas vero, quæ
 ipsi viciniore erant, phalanges Roth-
 landiæ Comes ejusdem Filius natu mi-
 nor ducebat, ceteris vero ex parte Here-
 fordæ Marchiæ Comes primogenitus
 ejusdem Filius imperabat. Haud pro-
 cul Eboraco cominus confertur pugna,
 magis cruenta, quam diuturna; Necdum
 enim media horæ pars effluxerat, cum
 jamjam Regina solutis Eboracensis ordi-
 nibus hostem in fugam ageret. Dux ve-
 ro desideratis suorum plusquam tribus
 millibus in prælio occubuit, & Cliffordiæ
 Baro vere inhumana & plusquam barba-
 ra ferocia Rothlandiæ Comitem Ebo-
 racensis filium, Juvenem vix ætate duo-
 dennem, trucidavit, illiusque caput su-
 pra portam Eboracensis civitatis exponi
 jussit; Eodem in loco affigebatur caput
 Saresberiensis Comitis, qui prælio captus
 ac de perduellionis crimine convictus, ca-
 pitali

Sæcul. XV. pitali sententia publice in ferali pegmate
 A.C. 1460. damnatus est.

§. IX.

*Varvicensis Comes secundo prælio a
 Regina devictus.*

Regina bene cæptum victoriæ cursum
 in rem suam vertere haud cunctaba-
 tur; unde tota in eo erat, ut Regem li-
 beraret, necnon recens electum Senatum
 compelleret, ut irritum nullumque de-
 clararet iniquum illud pactum, quod nu-
 perum Parlamentum Henricum inter &
 Eboracenses sanxerat. Quare Londinum
 petit, suumque exercitum urbi admovet;
 interea vero Marchiæ Comes a Cas-
 paro Teudersio Pembrochii Comite ca-
 piebatur. Nondum iter suum confecerat
 Regina, cum ei nunciatur, quod Var-
 vicensis Comes ac Norfolciæ Dux cum
 copiis suis Londini collectis in eam ir-
 ruerent, secumque Regem Maritum e-
 jus abducerent. Igitur Regina, ut ini-
 micorum suorum adventum præverteret,
 prima eos insequitur, tandem prope op-
 pidum S. Albani illos aggreditur, ac se-
 cundo prælio totum exercitum imma-
 ni clade afficit. Varvicensis Comes, cui
 Regis custodia erat concredita, salutis
 suæ fuga consuluit, ac victorum ferociam
 evasit; Rex vero non modo seditiosorum
 manus

manus effugerat, sed raro felicitatis con-
 cursu unacum libertate, conjugem, uni-
 cum Filium suum, regnique coronam re-
 cuperavit. Regina, parta Victoria cum
 glorioso exercitu suo recta Londinum
 contendit, urbemque Victrix ingreditur,
 atque ab incolis debita submissione, sum-
 misque honoribus excepta, denuo Re-
 giæ auctoritatis jura resuscitavit. Eboracenses tanto victoriarum successu conteriti, nil reliquum habebant, quam ut se ultroneo exilio ex Anglia subducerent. Ast improvido Regis consilio (*) brevi factum, ut iidem ad pristinas spes suas redirent.

Sæcul. XV.

A.C. 1460.

§. X.

*Bellum Regis Navarræ adversus
 Castellæ Regem.*

Eodem anno nil propius esse videbatur, quam ut novæ identidem belli flammæ inter Castellæ, & Navarræ Reges exardescerent. Navarrus enim sua armorum potentia, ac plurium Regnorum imperio elatus, gloriæ suæ labem inuri censebat, si urbes, quas Castellæ Rex usurpaverat, eidem relinqueret. Ergo bellum illi nunciare statuit, ut vero validum contraheret exercitum, Lusitanæ Regem
 novo

(*) Corrigere ex §. XIV.

Sæcul. XV. A.C. 1460. novo affinitatis vinculo sibi devincire de-
 crevit; cum enim ille ob plures Provin-
 cias, quas non ita pridem occupaverat,
 potentissimus esset, nuptias inter Catha-
 rinam Lusitani Regis Filiam, & Caro-
 lum Filium suum conciliare nitebatur.
 Verum Henricus Castellæ Rex tempesti-
 ve rem edoctus, Navarræ Regis conati-
 bus obsistere moliebatur, huncque in
 finem clam Carolo Isabellam Sororem
 suam in Sponsam obtulit. Placuit Prin-
 cipi Consilium, eo vel maxime, quod
 Henrici potentia suffultus speraret, se
 Navarræ Regno potiturum, quod Pater
 ejus Joannes nomine, non sine injustitiæ
 nota possederat; quippe regnum hoc Ma-
 tris suæ hæreditaria erat portio, & ali-
 unde Pater ejus pluribus aliis abundabat
 ditionibus. Igitur solii capeffendi spe la-
 ctatus, antiquas Bellomontensium factio-
 nes eo consilio restaurabat, ut hasce
 turbas sedandi obtentu Navarræ Regnum
 cum valido exercitu adoriri valeret.

§. XI.

*Carolus primo comprehensus, iterum
 libertati donatus, tandem jussu Pa-
 tris sui veneno interfectus.*

Joannes Rex, comperto filii consilio,
 eum comprehendi jubet: cum vero
 Navareses æque ac Catalani illius liber-
 tatem

tatem summa importunitate poscerent, Sæcul. XV.
 Rex, ut intestinum præcaveret bellum, A.C. 1460.
 eundem liberum dimittere compelleba-
 tur. Tandem vero seditiosam Filii sui
 indolem pertæsus, ut unico remedio omni-
 bus futuris malis prospiceret, illum pro-
 pinato veneno morti tradidit, instigante
 ad tale facinus ipsa Joanna Regina con-
 iuge sua, quæ erat supremi apud Castel-
 lanos terra marique Præfecti Filia.

§. XII.

Henrici de Lusitania Obitus.

Eodem tempore Henricus seu Henri-
 quez de Lusitania magnus Ordinis
 Christi Magister, a Rege Nepote suo fa-
 cultatem obtinuit, ut colonias conderet
 in Insulis capitis viridis, seu Canariis,
 quæ *Fortunatæ* appellantur, ac non ita
 pridem ab Antonio de Nola, patria Ge-
 nuensi detectæ fuerant. Igitur Henri-
 cus obtenta Regis venia confestim in
 Aragoniensi Insula arcem exstrui curavit,
 ut aurei pulveris commercium expeditius
 securiusque redderet: præterea a sum-
 mo Pontifice diploma impetravit, vi cu-
 jus Insulas recens inventas beneficiario
 jure possidere posset. Postquam vero
 plurimas colonias ad Accipitrum Insulas *Azores.*
 deduxerat, ipse paulo post rebus humanis
 ereptus est, summo omnium Lusitano-
 rum

Sæcul. XV. rum luctu. Ex altera parte Eduardus
 A. C. 1460. de Menezes cum intelligeret, quod quæ-
 dam arx Alcafariam parvam inter &
 mare, Mauris ad invadendos Lusitanos
 viam sterneret, minusque tutum navium
 cursum redderet, illam solo æquari, ac
 nonnulla munimenta erigi iussit, quibus
 infideles accessu ad regnum arceret.

§. XIII.

Res in Neapolis Regno.

Postquam Antonius Centiglia e carceribus, ad quos a Ferdinando detrusus fuerat, evadendi copiam nactus erat, in Calabriam rediit, ac totam ferme hanc provinciam Joanni Renati Andegavensis Filio asseruit. Ferdinandus prospero æmuli sui successu nihil animo fractus, totam hyemem conscribendis exercitus supplementis gnaviter impendit; Neapolitani enim, quis alter alterum affectu erga Regem suum vinceret, certabant, cunctique pro virium suarum ratione eidem opem præstabant, quinimo ipsæ etiam foeminæ gemmas suas offerebant. Nec remissius studium exhibuere summus Pontifex, & Mediolanensium Dux, qui Ferdinando copiosas militum suppetias miserunt; ac denique Luccensis etiam Respublica ejusdem partes tuebatur. His igitur subsidiis auctus Ferdinandi exerci-

exercitus facili negotio ea, quæ Calabriæ Dux Sæcul. XV.
eripere nitebatur, recuperare poterat. A.C. 1460.

§. XIV.

*Angliæ Regina victoriæ fructibus
frustrata.*

Haud longo tempore Angliæ Regnum
victoriæ, quam Regina reportaverat,
fructu potiebatur; ipsamet enim duplici
errore optimas spes succidebat. Primus
erat, quod nimis præpropere, ac iniquis-
simo rerum Anglicarum tempore ma-
gnam exercitus partem sacramento ab-
solveret. Alter vero, quod pertinaci
nimis imperio Londinenses adigeret, ut
ei seditiosos traderent, omnes debitis
pœnis plectendos. Præterea necdum
urbem ingressa necessarium pro exercitu
suo commeatum a Magistratu petiit, nec-
non ad deferendam annonam plaustra
advehi iussit. Regii Prætorii Præfectus,
cui hoc negotium demandatum erat, po-
stulata negare non audebat; unde nil in-
tentatum reliquit, ut regiis Ministris ea,
quæ postulabant, suppeditaret; verum
rem exequi, non jam sui erat arbitrii;
populus enim Eboracensium factioni ad-
dictus, summa pervicacia obstitit, nec
ullo pacto permisit, ut currus ad urbem
adveherentur. Regina comperta teme-
ritate, in rebellem hanc populi fœcem

Hist. Eccles. Tom. XXIX. B **omni**

Sæcul. XV. A.C. 1460. omni poenarum severitate ad ceterorum terrorem animadvertere statuit; Nobiles tamen Matronæ summis Magistratum precibus permotæ, Reginam adeunt, iratam placant, tandemque ab ea impetrant, ut antequam ipsa accederet, prius nonnulli Proceres urbem intrarent, quadringentis militibus stipati, ut qua rationum, qua auctoritatis pondere civibus timorem adimerent, quem illis regii exercitus potentia incusserat, demum vero ad ultroneam submissionem illorum animos flecterent.

§. XV.

Pembrochii Comes a Marchiæ Comite prælio victus, & Reginæ exercitus profligatus.

Jamjam consilium maturari videbatur, cum ecce! Londini & in S. Albani oppido fama percrebuit, quod Marchiæ Comes Eboracensis Ducis Filius natu major prope Herefordiam ingenti clade Pembrochii Comitem affecisset, ac unacum Varvicensi Comite, totoque exercitus sui robore Londinum Angliæ metropolim contenderet. Regina, cum ferme ante fores urbis sibi infensæ, & ad opem inimicis suis ferendam adeo propensæ consisteret, decretoriæ pugnæ discrimen experiri, minus consultum existimabat; quo-

quocirca copias suas ad Eboracensis di- Sæcul. XV.
A.C. 1460.
tiones educit. Verum Marchiæ Comes,
qui defuncto Patre suo Eboracensis Du-
cis nomen adoptavit, comitante eum Var-
vicensi Comite Reginam pressius insequi-
tur, ac tandem Fariburgi eidem occurrit.
Igitur ad prælii necessitatem ventum est,
jamque ad decimam diei horam pugna
protrahitur, tanta utrinque dimicantium
rabie, ac cædis aviditate, ut triginta oc-
cisorum millia numerarentur. Dudum
ancipiti Marte pugnatum; tandem vero
penes Eboracensem Ducem sine contro-
versia victoriæ summa stetit, qui & Re-
gem una cum Regina in Scotiam fugere
compulit, ac mille captivos abstraxit.
Dies erat Dominica Palmarum vigesima
nona Mensis Martii hac clade celebris.

§. XVI.

*Dux Londini in Regem coronatus,
sub nomine Eduardi IV.*

Eboracensis, omni hostium suorum me-
tu expeditus, recto tramite Londi-
num petiit, ubi assumpto Eduardi IV.
nomine, Regni coronam sibi imponi cu-
ravit. Inaugurationis tamen solemnia
non nisi die vigesima Junii celebrabantur,
eoquod Dux Eboracum prius profectus
esset, ut hanc ditionem a pluribus annis
Henrico addictam sibi vendicaret. Ibi-

B 2

dem

Sæcul. XV. dem Eboracensis Ducis Patris sui, nec
 A. C. 1460. non Saresberiensis Comitis capita adhuc-
 dum exposita reperit, quibus loco sub-
 motis Devonix Comitis, qui ab eo defe-
 cerat, necnon præcipuorum, eo quod ad
 regi exercitus cladem nihil contulissent,
 Nobilium Virorum capita substitui iussit.
 His expletis ambos suos fratres Ge-
 orgium Clarentiæ, Richardum vero Glo-
 cestriæ Ducem creavit. Nec Varvicensis
 Comes præmio præclaris ejus meritis
 congruo caruit. Ut vero Eduardus hu-
 jus Viri fidem Eboracensi Familiæ per-
 petuo vinculo adstrictam servaret, inter
 Clarentiæ Ducem fratrem suum, ac An-
 glicæ coronæ hæredem proximum, &
 præfati Comitis Filiam natu majorem
 nuptias conciliabat.

Polyd Virg.
hist. Angl.
Monstrelet.
Vol. 3.

§. XVII.

*Rex atque Regina in Scotiam profugi
 opem sollicitant.*

Eduardus, Philippo Cominæo teste, ado-
 lescens erat eximia corporis specie
 ac decore inter ceteros totius Europæ
 Principes longe præstantissimus, quapro-
 pter facile omnium Londinensium ocu-
 los & animos in se solum rapuit, cunctis
 nationibus percarus; Interea vero Hen-
 ricus Rex, ejusque conjux a Scotis, ad
 quos confugerant, ad recuperandum fo-
 lium

lium necessaria petebant auxilia, eoque Sæcul. XV. A.C. 1460.
 sine suos quoque Legatos in Franciam ablegabant, ut suppeticas impetrarent, quas tamen nonnisi evoluto biennio obtinere poterant. Ceterum Eduardo satis quiete aliquamdiu victoriæ suæ successu potiri licuit, emenso autem sequentis anni cursu turbata est pacis serenitas; Galli enim atque Scoti pro Henrico Rege, qui, ut mox videbimus, alterno fortunæ ludibrio nunc in carcere, nunc in throno comparuit, ingentes militum copias parabant.

§. XVIII.

Thomas Palæologus Romæ advenit.

Ineunte hoc anno Thomas Palæologus Princeps e Corcyra Romam pervenit. Comment. Pii II. lib. 3. § 8.
 Hunc summus Pontifex non vulgari benevolentia excepit, auxitque ad singulos Piranz. lib. 3. c. 26.
 menses trecentorum aureorum pensione, cui Cardinales ducentos alios addidere. Eidem Pius II. rosam auream pro more Dominica quarta in Quadragesima sacramentam dono dedit.

§. XIX.

B. Andreæ Apostoli caput Romam translatum.

Cum vero idem Princeps ab urbe Patracensi caput S. Andreæ Apostoli Baron. not. Martyr. die 9. Maji.
 Anco-

Sæcul. XV. Anconam, ubi exscensionem fecerat, attulisset, inde summus Pontifex anno proximo sacras hæc reliquias celeberrima pompa Romam asportari, ac in Ecclesia S. Petri collocari iussit. Hujus translationis fidem nonnisi (*) Gobelino ac Baronio Cardinali debemus, qui affirmat, *caput ejusdem Sanctissimi Apostoli ad ædes Sacras Romam in Vaticanum a Pio secundo delatum, ubi decentissime asservatur.*

Baillet. Vit. Sanctor. Bailletus hujus translationis Festum in nonnullis Martyrologiis, quale est Bollandinum, ad septimam Aprilis diem annuntiari observat, additque, locum, unde insignes hæ reliquiæ fuerint allatæ, non indicari, nec etiam certum ac authenticum hujus translationis monumentum proferri.

30. Nov.

Bolland.

tom 2. April.

p. 66. col. 2.

§. XX.

(*) Nihilominus etiam Phranzes de Thomæ adventu in Italiam differens hæc scribit lib. 3. cap. 26. *Papæ Pio II. anno altero Pontificatus ipsius S. Andreæ Apostoli, qui primus a Christo vocatus est, caput dedit, nec satis capere possumus, quo motivo ex Gobelino, cujus librum Continuator Pio II. adscribendum putat, orationem Cardinalis Bessarionis, & Pontificis responsum ad eum in festo translationis habitam fuisse, referre neglexerit.*

§. XX.

Sæcul. XV.
A.C. 1460*S. Catharinæ Senensis Canonizatio.*

Jam ferme octogesimus effluxerat annus, *Ballar.*
 quo Sancta Catharina Senensis ex *Pii II. Con-*
 Ordine S. Dominici Romæ die vigesima *lit 6. tom. I.*
 nona Aprilis Anno Domini millesimo
 trecentesimo octogesimo, ætatis suæ cir-
 citer trigesimo tertio in fama Sanctitatis
 obiit. Corpus ejus in Ecclesia S. Mariæ
 supra Minervam solemnè pompa terræ
 mandatum est; cum vero Deus novis in-
 dies miraculorum testimoniis Sanctitatis
 famam, qua in vita claruit, post obitum
 illius comprobata redderet, de illius
 canonizatione agebatur. Jam ineunte
 hoc sæculo Albertus Austriæ Dux, &
 Sigismundus Hungariæ Rex, quorum
 uterque successivo tempore Imperatores
 erant, primum ab Innocentio VII. ac de-
 mum a Gregorio XII. Romæ hujus Vir-
 ginis Apotheosin efflagitabant; Ast cum
 Gregorius Anno millesimo quadrin-
 gesimo decimo quinto Pontificatum
 abdicaret, acta instrui coepta interrump-
 ebantur; postquam vero Sedes Aposto-
 lica durantibus Pisana, Constantiensi &
 Basileensi Conciliis continuo gravissimis
 agitabatur tumultibus, hoc negotium
 omnino usque ad Pontificatum Pii II.
 differebatur. Hic autem Pontifex rem
 ad exitum perduxit, atque hoc anno Ca-
 thari-

B 4

thari-

Sæcul. XV. tharinam in album Sanctorum Cælitum
A.C. 1461. solemnī ritu retulit, hancque in rem die
 vigesima nona Junii Constitutionem edi-
 dit, qua festivam illius diem quotannis
 prima Mensis Maji Dominica celebrari
 præcepit. Postea Urbanus VIII. huic
 celebritati trigesimam Aprilis assignavit,
 qua die officium divinum in Breviario
 Romano sub ritu duplici perfolvitur.

§. XXI.

*Austriæ Dux, & Malatesta a Papa
 excommunicati.*

Hoc eodem anno feria quinta Hebdo-
 madæ majoris summus Pontifex
 Sigismundum Austriacum, & Sigismun-
 dum Malatestam usu Sacrorum interdi-
 xit, eoquod prior Cardinalem Cusanum
 diris vexationibus, atque injuriis oppres-
 sisset. Attamen hæc anathematis sen-
 tentia nonnisi innovata videtur; jam enim
 priori anno, cum summus Pontifex ad-
 huc Senis ageret, idem Dux sacro Ec-
 clesiæ fulmine percellabatur. Sigismun-
 dus vero Malatesta eidem censuræ subji-
 ciebatur, eoquod census Ecclesiæ Roma-
 næ debitos solvere recusaret. Ceterum
 Malatesta Vir erat bello summus, ac in-
 ter ceteros ævi sui Belliduces facile Prin-
 cept, scelerum tamen atrocitate non mo-
 dicam nomini suo labem inussit; erat
 enim

enim homo impius, nullique religioni Sæcul. XV.
 addictus, præterea animæ immortalita- A.C. 1461.
 tem inficiabatur, & quæcunque sacra-
 tiora violabat jura, ut suam fatiaret am-
 bitionem. His flagitiis sibi justam sum-
 morum Pontificum indignationem accer-
 sivit, præcipue vero illam execrationem,
 cujus mox meminimus. Idem cum Se-
 nensis & Florentini exercitus Præfectus
 esset, in ipsum quoque summum Pontifi-
 cem, incassum licet, arma convertit;
 tandem vero sexto post anno millesimo
 quadringentesimo sexagesimo septimo
 animam exhalavit.

§. XXII.

*Alia excommunicationis sententia in
 Archiepiscopum Moguntinum.*

Idem quoque Pontifex aliam excommu- Comment.
 nicationis sententiam pronuntiabat in Pii II. lib. 6.
 Moguntinum Archiepiscopum, Diethe-
 rum nomine. Is postquam Anno mille-
 simo quadringentesimo quinquagesimo
 nono electus fuisset, Mantuam Oratores
 misit, qui confirmationem a Papa de mo-
 re postularent. Annuit Pontifex, dum-
 modo ipse Apostolicam Sedem adiret,
 solveretque unius anni cursu summam pro
 illa Ecclesia in Curia Romana designa-
 tam. Cum autem Dietherus hisce con-
 ditionibus non satisfaceret, ab Auditore

Sæcul. XV. A.C. 1461. Camera Apostolicæ palam denuntiatur,
demum vero publice diris devovetur. Hac de re graviter indignatus, perinde ac si injuria affectus esset, ad futurum Concilium provocavit, ipsosque Germaniæ Principes, ut appellationi suæ adhærerent, summis precibus sollicitavit.

§. XXIII.

*Conventus Principum Germaniæ
hac super re celebratus.*

*Nauclev.
Chron. Vol. 3
gener. 49.*

Principes Archiepiscopi rationibus permoti, Moguntiaë conventum agunt; aderant quoque duo Apostolicæ Sedis Nuntii Rodolphus Decanus Wormatiensis, & Franciscus Canonicus Toletanus. Convenientibus igitur omnibus, querebatur Archiepiscopus, quod eum Romanus Pontifex sine ulla causa persequeretur, magnamque auri vim pro confirmatione electionis suæ peteret, ac denique præter decimarum exactiones ab eo insolitum quoddam juramentum exigeret, totamque Nationem Germanam aliis oneribus premeret, eo duntaxat fine, ut ingentes pecuniarum summas colligeret, quas quidem sub obtentu belli contra Turcas movendi peteret, re tamen ipsa in alios usus converteret.

§. XXIV.

§. XXIV.

Sæcul. XV.
A.C. 1461.*Querelæ Archiepiscopi a Nunciis
confutatae.*

Ad has Dietheri criminationes Rodolphus Papæ Nuntius respondit in hæc verba: jussus est Archiepiscopus ad Curiam accedere pro veteri consuetudine; nihil ab eo pecuniæ quæsitum pro confirmatione suæ sedis, præter id, quod in Camera Apostolica passim exigi solet, videlicet decem millia nummum pro diplomate, & quatuor millia pro *minutis*, ut vocant, *servitiis*, literarum expeditione & oratorum sumptibus; ceterum ipse ultro concessit, ut in suo Electoratu indulgentiæ promulgarentur, ac decimæ colligerentur; cum vero partem earum in sui compendium reservare vellet, merito Papa sacrilegum hoc furtum exhorruit, & destinatam in opus fidei pecuniam eidem relinquere nefas existimavit, necnon conscientiam sibi duxit, ut ea, quæ Deo debentur, ad privatos usus transferantur. Præterea Archiepiscopus tali iudice, qui non habet in terris superiorem, & ad eum, qui nullibi existat, inique provocavit, tali usus effugio, quod eo unice collimat, ut impunita permaneant scelera, quamvis ejusmodi frivolæ appellationes jamjam promulgato edicto

Sæcul. XV edicto fuissent prohibitæ. Quod vero
A.C. 1461. indulgentias attinet, respondit Rodul-
 phus, eas de communi ejusdem Con-
 ventus assensu eo sine decretas esse, ut
 ex illis pecuniæ ad bellum Turcicum ne-
 cessariæ expenderentur, de cetero ab in-
 vitis nullas elemosynas exigi, ac propter-
 ea liberum esse Germanis ajebat, Reli-
 gioni opem ferre, si velint; consulerent
 tamen sibimet ipsis, cum meliori modo
 contra communem fidei hostem haud
 tueri se possent. Principes Rodulphi
 oratione, ac rationum momentis persuasi,
 conventum solvunt, nihil tamen eorum,
 quæ Dietherus postulabat, concedunt.

§. XXV.

*Provocatio ab Archiepiscopo revocata,
 ejusque perfidia.*

Archiepiscopus spe sua dejectus, Apo-
 stolicos Nuntios sibi reconciliare con-
 stituit, atque appellationem suam, coram
 testibus & Tabulario revocavit. Verum
 majorem eidem molestiam, ac pudore
 creabat, suam provocationem
 retractando, quam semel appellando.
 Eandem quoque palinodiam canebat
 paucis ante diebus Fridericus Comes Pa-
 latinus Rheni, ambo tamen datam fidem
 fefellerunt, nihilque eorum, quæ promi-
 serant, opere executi sunt; Archiepisco-
 pus

pus enim, etsi ab excommunicationis vinculo minime solutus esset, nihilominus spretis Ecclesiae censuris, libere dignitatis suae officiis fungebatur.

Sæcul. XV.
A.C. 1461.

§. XXVI.

Alius in Moguntia Archiepiscopus electus.

Summus Pontifex cognita Dietheri pertinacia, quemdam ex suis Cubiculariis Moguntiam decrevit, qui Canonicos induceret, ut alium subrogarent Archiepiscopum, qui se Diethero auderet opponere; Hi congregato capitulo Adolphum eligunt ortum ex antiqua, & nobili Nassoviorum familia, ex qua olim nonnulli prodierunt Imperatores. Nihilominus facta electione secuta est inter partes contentio, brevi tamen, cum Adolphi fautores numero superiores essent, actum est de concordia, pactis hisce legibus, ut Archiepiscopalis dignitas Adolpho, quædam vero castella unacum congruis redditibus ad ejus sustentationem Diethero relinquerentur. Verum hæc pax haud diu viguit; cum enim Fridericus Comes Palatinus novos suscitaret tumultus, cruentum æque ac diuturnum bellum redintegratum est, donec Anno millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio Dietherus assiduis hisce dissensionibus attritus,

*Serray. l. 2.
rer. Mogunt.*

tritus,

Sæcul. XV.
A.C. 1461. tritus, probe cognosceret, quod Fridericus nil aliud quæreret, quam Moguntinæ Ecclesiæ ruinam, quapropter jus suum penitus Adolpho cessit, & obtenta per Pontificis Nuntium absolute, privatam duxit vitam, demum vero Anno Domini millesimo quadringentesimo octogesimo secundo obiit. Aliorum Scriptorum testimonio discimus, quod Dietherus, postquam Adolphus Anno Christi millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto decesserat, a Canonicis denuo in Archiepiscopum fuerit electus, atque sex omnino annos Moguntinam rexit Ecclesiam, tandem vero in pace vitam finierit.

§. XXVII.

*Legatorum Orientalium accessus
ad Regem Gallicæ.*

Hoc anno in Mense Majo illi Orientalium Legati, quos Papa ad sollicitanda adversus Turcas auxilia in Franciam decreverat, ad Carolum VII. perveniunt, una cum Prælato ex Ordine Minorum, qui se Patriarcham Antiochenum nominabat, & Joannis Presbyteri Orator credebatur. Hi obsequia sua Regi deferunt, eundem Christianissimum vocant, simulque exponunt, a Turcis totam eorum regionem propediem subactum iri, suppe-

suppetias igitur adversus hosce infideles perdemisse efflagitant, atque asserunt, plus profuturos duos belli Præfectos ex Gallorum gente, quam numerosissimum ceterarum Nationum exercitum. Ast votis Legatorum nihil datum, præpediente id subitanea Regis infirmitate. Ceterum Papa, cum ex multorum relatione comperiret, quod hic Franciscanus æque ac ejus focii insignes essent fraudum Architecti, illos (*) e Francia reduces durius excepit. Cum vero idem Monachus Venetiis appulisset, a quibusdam Præsulibus doli ignaris obtinuit, ut in Sacerdotem, & Episcopum consecraretur. Re comperta Pontifex absque mora datis ad Patriarcham Venetum literis, deceptorem in vincula conjici, atque ad se pertrahi jussit; ipse vero propere arrepta fuga criminum suorum poenam una cum sociis evasit. Horum exemplo edoctus Pontifex, ex Oriente adventantibus, haud adeo faciles amplius aures præbuit, nec eos nisi caute explorata eorum integritate ad alloquium admisit.

Sæcul. XV.
A.C. 1461.

Monstrelet.
Vol. 3.
Maier l. 16.

Æn. Sylv.
ep. 376. & seq

§. XXVIII.

(*) Ab hac calumnia Ludovicum vindicat P. Pagius in suo Breviario historico tom. V. ad annum 1461. num. 47. cujus fabulæ solus Gehelinus architectus existit.

Sæcul. XV.
A.C. 1461.

§. XXVIII.

*Rex Gallix propinandi veneni
suspicione agitatus.*

*Joan. Chart
histor. Ca-
rol. VII.
pag. 316.
Maier l. 16.
in fin.*

Cum quondam Regi apud Magdunum Bituricum agenti nuntiatum esset, a suis familiaribus sibi venenum parari, ea suspicione adeo turbata est ipsius imaginandi facultas, ut nil nisi pugiones, & venena oculis suis objici crederet, eaque cogitatio eo firmiter ipsius insedit animo, quo certius de conspiratione admonitus fuerat a tali Ministro, cujus in Regem affectus, fides, ac integritas cognita, satisque probata habebatur. Quare mortis periculum elusurus, ad extrema prolapsus est, omneque alimenti genus sibi suspectum habens, solidos septem aut octo dies absque omni cibo trahebat. Nec Medici ulla rationum vi insaniam curare valebant, donec ab iisdem Regi significatum, quod certo inedia mortem, quam adeo sollicitè effugeret, sibi accersitarius esset, quapropter, ut vitam suam prolongaret, comedere coepit. Verum posttam diuturnam, obstinatamque abstinentiam interclusis jamjam vitalibus, nihil cibi stomachus recipere valuit.

§. XXIX.

§. XXIX.

sæcul. XV.
A. C. 1461.*Rex fame mortuus.*

Igitur feбри corripitur, & morbi violentia adeo indies ingravescebat, ut receptis pie Ecclesiæ Sacramentis, ob sua incontinentiæ peccata veniam a Deo precaretur, tandemque in festo S. Magdalensæ vigesima secunda Julii ex hac vita migraret.

Enimvero nulla usquam ætas talem tulit Regem, quem adversæ fortunæ casus, & potentissimorum hostium odia acrius agitabant; Verum vix alius Rex reperiri poterit, qui ampliore gloria cuncta eluctatus erat discrimina. Ejectis enim e regno coronæ suæ usurpatoribus, in sinu suo domique invenit hostes, qui etiam propriæ ejus vitæ insidias struebant; Præterea alium si nactus fuisset Patrem, aliam quoque Matrem, terque quaterque felix nominari potuisset. Princeps erat genio affabilis, benignus, liberalis, & justus. Tenero etiam affectu suos complectebatur populos, quos ab exactionibus maxima, qua potuit, sollicitudine exemit, & suis obsequiis addictos liberaliter præmiis cumulavit, ac præterea non modo ob æquitatis studium, & regiminis prudentiam summam laudem promeruit, sed etiam restaurandæ Ecclesiæ

Hist. Eccles. Tom. XXIX. C *clesiæ*

Sæcul. XV. **A.C 1461.** clesiae strenue allaboravit, tantaque pietate eminuit, ut nullis decimis Ecclesias onerari pateretur. Regi huic cetera laudatissimo id vitio jure vertebatur, quod ob nimiam indolis suæ facilitatem suorum familiarium ac meretricum arbitrio deserviret. Postremis vitæ suæ diebus animi erat timore pene exanimati, atque incredibili diffidentia, ac suspicionum turbine agitabatur. Nec tamen ea obstant vitia, quin semper tanquam Princeps æterna memoria dignus suspici queat: Polydorus Virgilius encomiorum summam paucis hisce verbis complexus, eum vocat, *Gloriam Francorum, & Restauratorem Regni*. Ceterum mundo valedixit annos natus quinquaginta novem, menses sex, postquam Regni habenas annis triginta novem, novemque mensibus moderatus fuerat.

Hist. Angl.
lib. 23.

§. XXX.

Caroli VII. Regis liberi.

Ex Maria Ludovici II. Andegavensis Ducis Filia Conjuge sua undecim legitimos suscepit liberos, nimirum filios quatuor, & septem filias. Non nisi duo ex Filiis provectam attingebant ætatem, Ludovicus Delphinus, Regis Successor, & Carolus, quem, nisi eum præmatura mors vivis eripuisset, Pater ejus Regni hæredem

dem nominare meditabatur; Filiae erant Radegundis, quæ Sigismundo Austriae Duci & Friderici V. primogenito filio jamjam desponsata fuit, sed prius mortalitatem exiit. Altera erat Jolanda, quæ Amadæo Sabaudiae Duci connubio jungebatur; tertia fuit Catharina Caroli Burgundiae Ducis uxor; Joanna vero Joanni II. Borbonio Duci nupserat; Magdalena denique Gastoni Vianæ Principi & Fuxensi Comiti in matrimonium collocata fuit. Reliquæ autem duæ Filiae gemellæ Joanna & Maria necdum infantiae annos egressæ obierunt.

Sæcul. XV.
A.C. 1461.

§. XXXI.

*Exequiæ Regis in Ecclesiis ad B. V.
& S. Dionysium Parisiis celebratæ.*

Corpus Regis Magduni expositum mansit usque ad feriam quartam, seu quintum Augusti diem, quo ad Ecclesiam Cathedralem Lutetiam delatum est. Suppeditabat funeris expensas potissima ex parte Tanneguyus Castellio Nobilis Brito, qui nobilium Cubiculariorum Princeps, a Carolo olim ad proprias ditiones relegatus fuit. Hic comperta Regis morte, quantocius accurrebat, nullisque sumptibus parcebat, ut Principis sui corpus solemniori, qua potuit, pompa Lutetiam Parisiorum deduceretur. Referunt

Joan. Chart
histor. Ca-
rol. VII.

Sæcul. XV. runt nonnulli, eum pro funeris sumpti-
A.C. 1461. bus erogasse argenti plusquam quinquaginta librarum millia. Ut vero in hac liberalitate, se a proprii commodi spe alienissimum monstraret, peractis exequiis mox in Britanniam se recepit; ceteroquin Carolus sine ulla funeris celebritate Parisios translatus fuisset, nisi fidelis iste vasallus Regi suo ultimis obsequiis, proprioque ære parentasset. Quippe omnes Ministri regii ad Ludovicum Delphinum defuncti Caroli Filium primogenitum certatim accurrebant, ejusdem gratiam aucupaturi; Regi autem suo postrema gratitudinis ac reverentiæ obsequia tot nominibus debita exsolvere penitus negligebant.

Ceterum quatuor supremæ Curiae Ministri rubeis induti togis quatuor umbellæ angulos tenebant; idem munus plures alii ejusdem Curiae Domini obibant. Deferebatur cadaver pretioso panno aureo coopertum, & lecticæ impositum, quod comitabantur Aurelianensis Dux, Engolismensis, Augensis, & Dunensis Comites, hi omnes equis vecti sequebantur. Trahebatur sex equis currus, a summo usque ad imum serico nigri coloris panno tectus, cui prius Regis cadaver impositum Magduno Lutetiam usque devehebatur. Demum agmen claudebant sex ephebi totidem equis vecti. Hanc funebrem pom-
 para

pam præcedebat Ludovicus Harcurtius Sæcul. XV. A.C. 1461.
 Archiepiscopus Narbonnensis, qui etiam
 tam in Ecclesia ad Beatam Virginem,
 quam in templo Sancti Dionysii Pontifi-
 cali veste ornatus iusta persolvit; proxi-
 mi sequebantur Parisiensis Prætor, &
 Curie forensis Judex, præter plurimos
 Ordinum Religiosos. Cum vero cada-
 ver ad medium Chori Ecclesie Cathed-
 ralis deponeretur, defunctorum vesperæ
 decantabantur; altera vero die sexta
 Augusti, quæ erat feria sexta, solemnes
 celebratæ sunt exequiæ, ubi Narbonen-
 sis Archiepiscopus Sacris operatus est.
 Tertia post meridiem hora Regis corpus
 ad Ecclesiam S. Dionysii deferrebat, ibi-
 demque idem Archiepiscopus solemn-
 ritu rem divinam peregit, & Thomas de
 Courcellis Theologus funebrem oratio-
 nem habuit: quibus omnibus absolutis,
 cadaver de more ad capellam repositum
 est.

§. XXXII.

*Ludovicus Delphinus Patris sui obitum
 in Flandria edoctus.*

Carolus Andegavensis Dux Cenoma-
 nensis Comes tres Cursores ablega-
 bat, qui Delphino mortem Patris sui nun-
 tiarent. Hi eadem, ut fertur, die, qua
 Carolus fatis functus est, Canebi in Bra-
 bantia,

*Monstrelet.
 Vol. 3. f. 88.
 Ballef. hist.
 Franc. l. 1.
 num. 1.*

Sæcul. XV. bantia, ubi tum Delphinus agebat, ad
A.C. 1461. venerant.

§. XXXIII.

*Ludovicus XI. defuncti Regis
Successor.*

Delphinus securitate folli lætior, quam defuncti Patris sui nuntio afflictus, nequidem exterius dolorem simulare sollicitus erat. Jam tum exigua hujus Principis erga Patrem pietas, necnon vexationes, quibus hucusque Delphinatum afflictebat, haud obscure funestum futuri Regiminis successum præfagebant.

§. XXXIV.

Rhemis unctus ac inauguratus.

Cum adhucdum inter Regni Proceres numerarentur non pauci, qui Carolo II. defuncti Regis Filio adhærebant, haud immerito Ludovicus natu major Filius horum potentia a folio excludi verebatur; quapropter velocissimo equorum cursu Rheinos contendit, ut ibidem sacri olei ac inaugurationis solemnia reciperet. Habuit itineris socios Burgundiæ Ducem, ejusque Filium præter quatuor millia selectioris militiæ Viros. Die decima quinta Augusti in festivitate Beatissimæ

fimæ Virginis assumptæ Ludovicus inau-
 guratus est a Joanne Juvenale Urfino Sæcul. XV.
A.C. 1461.
 Archiepiscopo Rhemenfi; placuit tunc
 Regi, ut priusquam inungeretur, a Bur- Gaguin l. 10
in Ludov. XI
in princip.
 gundiæ Duce Eques crearetur: postea
 vero recens coronatus eodem honore
 centum & septemdecim Nobiles insigni-
 vit. Absoluto convivio Burgundiæ Dux
 Ludovico XI. Galliarum Regi, pro Bur-
 gundiæ Ducatu necnon pro Flandriæ &
 Arthesiæ Comitatibus homagium præ-
 stitit, quod hucusque profiteri haud
 poterat, cum assiduis, quæ cum Caro-
 lo VII. usque ad Atrebatensem tracta-
 tum gerebat, bellis præpeditus esset, ce-
 terum hunc in modum exsolvit clienta-
 lare obsequium: Ad Regis pedes pro-
 volutus supplex obtestabatur, quod in-
 juriarum, quæ ipsi Rex intulisset, me-
 moriam deleret, cunctisque veniam con-
 cedi peteret, qui discordiæ inter ipsum,
 ejusque Patrem auctores erant. Rex
 Burgundi votis annuit: ab hac ta-
 men gratia septem excepit Nobiles, re
 autem ipsa hoc usus prætextu nulli veni-
 am dedit. In hujus homagii formula
 nonnullæ reperiuntur clausulæ, antehac
 insolitæ, quas inferere abs dubio Duci
 placuit, ut luculentiori argumento suam
 fidem Regi comprobatam redderet.

Secul. XV.
A.C. 1461.

§. XXXV.

Mutata Regiminis Norma.

Exeunte hoc mense Ludovicus XI. Parisios delatus, ultima die Augusti solemni pompa urbem ingreditur, mille ducentis equitibus stipatus; Burgundiæ Dux Regi, cujus hucusque individuus erat comes, peractis solemnibus valedixit, in Flandriam reversurus. Interea vero Carolæii Comes Burgundi Filius peregrinatum ibat ad templum S. Claudii in Burgundia, cui reduci Rex Normanniæ Præfecturam commisit, addita pensione nummum mille ducentorum, quæ tamen eidem haud numerati fuerat, eo quod Rex suis promissis stare parum sollicitus esset. Demum Rex Ambasiam pergit, Reginam Caroli VII. viduam invisurus, quæ post Mariti sui obitum sese eo recepit; sed paulo post fati functa est, non sine ingenti omnium bene affectorum luctu, qui per filialem, quam Rex erga Matrem suam profitebatur, pietatem, violentos ejus impetus aliquamdiu reprimi peroptabant. Attamen vix Regni habenas moderari ceperat, non jam populi sui Patrem, sed tanquam gentis recens armis subactæ domitorem sese gerebat; plures enim antiquos Patris sui Ministros, Viros multa probitate alioquin cele-

celebres exauktoravit; ferme omnes Regiæ Domus ministros, caussarum Forensium judices, ac ærarii Præfectos ab officio amovit; cunctosque, qui apud defunctum Regem gratia valebant, male habuit, ac demum quæcunque Pater ejus sanxerat, nulla ac irrita declarare studuit. Fratri suo nonnisi Bituricensem Ducatum in paternæ hæreditatis portionem concessit, Ducem vero Alenfonium e carcere liberum dimisit, mox autem Antonium Chabanium Dammartini Comitem in ejus locum ad Bastillam, ut vocant, deferri præcepit, eo quod ipse a defuncto Rege ante sex annos Delphinum comprehendere jussus esset. Præterea Armeniacum Comitem bonis suis restituit, sed populum tributis oneravit, Proceres exspoliavit, & totius Cleri invidiam ob innumeras molestias eidem illatas in se concitavit.

§. XXXVI.

Regis benevolentia erga Burgundiæ Ducem.

Rex, cum Burgundi ac Britanni Ducum amicitiam rebus suis plurimum prodesse cerneret, seque Burgundo non infimis titulis obstrictum esse, haud ignoraret, utrumque simulata benevolentia delinire satagebat. Quare Carolesii Comiti

Sæcul. XV.
A.C. 1461. miti ejusdem Filio Normanniæ admini-
strationem contulit, secreto tamen foe-
dus, quod Carolus VII. Pater ejus cum
Leodiensibus, juratis Burgundicæ Fami-
liæ hostibus, pepigerat, rati habuit, proin-
fidem violavit, quam paucis ante mensi-
bus Duci dedit, promisitque, quod in
ejus gratiam Leodiensibus adversari vel-
let; Britanniae vero Ducem compulit,
ut pro suis ditionibus homagium præsta-
ret, ipse tamen Regem accederet, qui
eo tempore Turonibus agebat, inde vero
ad S. Salvatorem Rhedoniæ in Britan-
nia peregrinatum ibat. Dux igitur ibi-
dem in occursum Regis properabat, eum-
que summis honoribus excipiebat.

S. Saviour
de Rhedon.

§. XXXVII.

Legati ad Ludovicum a Papa missi.

Paulo post Pius Pontifex Joannem Jo-
fridium seu Geofredum Atrebaten-
sem Episcopum tanquam Legatum ad
Regem decrevit, dato negotio, ut eidem
Christianæ Reipublicæ salutem impensi-
us commendaret, illumque ad ferendam
fidelibus opem adversus Turcas horta-
retur.

§. XXXVIII.

*Pius apud Regem agit de abro-
ganda Pragmatica.*

Attamen præcipuum erat Legationis
caput,

caput, ut Joannes Regem ad Pragmaticam Sanctionem e regno suo eliminandam induceret. Erat Episcopus ille Vir rebus gerendis maxime idoneus ac insuper promissæ sibi a Papa Cardinalitiæ dignitatis præmio stimulabatur, unde quanta sollicitudine demandatam sibi provinciam ad optatum exitum deducere allaboraverit, facile colligi poterit. Quinimo Legatus haud ægre, quæ petiit, a Rege impetravit, eoquod ipse Rex jam pridem non modo secum constituisset, sed etiam voti religione sese obstrinxisset, ut quam primum patris solium conscensurus esset, mox Sanctionem Pragmaticam abrogare vellet, unice, ut quidam Scriptores referunt, suo Patri, qui eam acceptavit, adversandi studio. (*) Igitur Ludovicus, vix comperta Pontificis voluntate, Atrebatensis Episcopi votis penitus concessit.

§. XXXIX.

Consilium Regis de Pragmaticæ Sanctionis Abrogatione.

Præsertim tamen hac de re certior fieret Pontifex, duo sibi ab Episcopo promitti Rex postulabat. Primum erat, ut

(*) Spondanus ad hunc annum num. XII. subjungit: *At satius est, æquius de illo sentire.*

Sæcul. XV.
A.C. 1461.

Gobelin.
Comment.
Pii II. l. 7.
Æn. Sylv.
epist. 387.

Sæcul. XV. ut Pius II. a Ferdinando deficeret, & Re-
A.C. 1461. natum Andegavensem tueretur. Alterum

*Pithou de
 Pragmatic.
 Sanct. &
 Concord.*

*Monstrelet.
 3. Vol. f. 99.*

erat, ut Nuntius, natione Gallus, intra Regni fines resideret, ac penes eundem Beneficiorum nominatio esset, ne impostera pecuniæ extra Regnum distraherentur. Episcopus ad utrumque facilem Pontificis animum pollicebatur; quare Ludovicus Rex promissis Legati confisus, datis ad Papam literis significat, quod Sanctionem Pragmaticam, quamvis in Regno suo observata, recepta, & prævio doctiorum Episcoporum examine stabilita esset, abolere constituiisset. Hæc vero potissimum rationum momenta allegabat, eo quod *in seditione, & schismatis tempore, atque per seditionem adversus Sedem Apostolicam omnium Ecclesiarum Matrem ab inferioribus Pontifice Prælati lata esset, qui, ut inquebat Rex, sibi in Regno suo quoddam licentiæ templum per hanc Pragmaticam construxerunt: Hanc igitur legem, licet plerique docti homines eam consutare niterentur atque diluere, per præsentis a Regno nostro pellimus, firmitusque abrogamus, & quam, qualemve ante pragmaticæ ipsius editionem rerum spiritualium dispositionem Romani Pontifices exercebant, talem tibi reddimus cum summo imperio, cum iudicio libero, cum potestate non coarctata. Quod si forte aliqui reclamabunt Episcopi, promittimus verbo regio, exequi facere tua mandata.*

Placuit

Placuit Atrebatensi Episcopo docile, ne Secul. XV. A.C. 1461.
dicam, imbecille Regis ingenium; quo-
circa is Cardinalitium galerum spe sua
jam devorans, lubenti animo hasce lite-
ras ad Papam detulit. (*)

§. XL.

*Joannes Josfridius Atrebatensis
Episcopus.*

Ambitiosus ille Episcopus natione Bur-
gundus erat, Luxovii seu Luxolii hu-
mili genere natus; sunt tamen, qui eun-
dem nobilissimis parentibus ortum testan-
tur. Sancti Benedicti institutum in Ab-
batia Sancti Dionysii in Galliis professus,
amplissimis ordinis sui dignitatibus orna-
batur, ac primo Prioratum Beatæ Ma-
riæ de castro ad Salinas, dein Infulam
Abbatialem S. Petri Luxolienfis, ac de-
mum Sancti Dionysii in Francia Præpo-
situram obtinuit. Philippus cognomento
Bonus, Dux Burgundiæ eundem Orato-
rem

*Daniel. Hist.
Franc vit.
Ludovic. XI*

(*) *Futilia hæc sunt, nec animum a partium studio alienum, qualis tamen vel maxime in historico desideratur, ostendunt. Rex Ludovicus pessimus Regum audit, quia Legem Deo & Ecclesiæ adversam abrogat, Legatus ambitionis postulatur, quod promisso præmio, quæ muneris sui erant, executus est. Vah? Historici integritatem.*

Sæcul. XV. rem decrevit ad Nicolaum V. Pontificem.
A.C. 1461. Hunc paulo post reducem idem Dux
 Atrebatensem Episcopum renuntiari cu-
 rabat. Fuit Pio II. in paucis carus; tan-
 tam enim in Viro Prudentiam, dexteri-
 tatemque expertus erat, ut eundem suo-
 rum consiliorum arbitrum, atque adju-
 torem haberet; nec segnior erat Episco-
 pi in Pontificem affectus; ex ejusdem
 enim gratia ac obsequio fortunæ suæ in-
 crementa sperabat.

§. XLI.

*Jofridius cum aliis quinque
 Cardinalis creatus.*

Nec eum spes sua sefellit; quippe Pius
 Pontifex, cum felicem Legationis,
 qua apud Ludovicum XI. Galliarum Re-
 gemungebatur, successum intelligeret,
 Mense Decembri ejusdem anni purpuram
 Jofridio contulit, ac Presbyterum Cardi-
 nalem SS Sylvestri, & S. Martini ad
 montes nominavit. Eodem quoque die
 in Senatum Purpuratorum adlegit Bar-
 tholomæum Roverellam, patria Ferrari-
 ensis, Ravennatem Archiepiscopum tit.
 S. Clementis; Jacobum de Cardona Na-
 tione Hispanum Episcopum Orgellensem,
 Ludovicum Albretium Gallum, primo
 Carducensem, postea Arduensem, de-
 mum Mirapicensem Antistitem, ac Car-
 dinalem

dinalem tit. S. Marcellini & S. Petri ad vincula. Creabantur eodem tempore Jacobus Mensbona Picolomineæ adscriptus Familiæ, patria Luccensis, Episcopus Papiensis tit. S. Chryfogoni, & Episcopus Tusculanus; Franciscus de Gonzaga Episcopus Mantuanus tit. S. Petri ad vincula, & Bononiensis Antistes.

Sæcul. XV.
A.C. 1461.

Gobelin.
Comment.
Pii II. l. 7.
Onuphr.
Surita l. 16.
Aubery.

§. XLII.

Romanorum lætitia ob abrogationem Pragmaticæ.

Jofridius Romam redux, collatæ sibi purpuræ nuntium accepit, ibidemque a summo Pontifice non vulgaribus benevolentiae signis excipiebatur. Verum gaudii, quod ex adepta dignitate senserat, ubertas oblitterasse videtur memoriam promissi, quo Neapolitani Regni negotia promovere, ac Legati natione Galli nominationem procurare, amplissimis verbis Regi sponderat; potius enim rebus suis quam alienis intentus erat. Postquam vero abrogatæ Pragmaticæ diploma summo Pontifici tradidit, communis erat omnium Romanorum lætitia, & populus tam insolito tripudiabat júbilo, ut hujus Pragmaticæ exemplar per urbis plateas raptare præsumeret, perinde ac si opimum Victoriæ, quam sacra Sedes de Basileensi Synodo reportaverat,

Pisson. Hist.
Pragm. Es
Concord.

Sæcul. XV. verat, trophæum circumduceret. Præ-
A.C.1461. terea summus Pontifex transmisit Regi
 ensem vaginæ gemmis & auro ornatae
 inclusum, quem in Dominicæ Nativita-
 tis nocte solemnî ritu sacraverat. (*)
 Hæc nec plura a Pio Pontifice obtinuit
 Regia sua Majestas in præmium servilis
 obsequii, quo se eidem devoverat. Nec-
 dum novæ dignitatis amplitudo Atreba-
 tensis Cardinalis ambitionem explere
 poterat. Cum enim duæ Ecclesiæ in
 Galliis, altera Metropolitana Vesuntio-
 rum in Burgundia, altera Episcopalis
 Albiensis in Alvernis vacasset, Josridius
 utramque a Pontifice petiit, cui Papa,
 harum unam duntaxat ut seligeret, co-
 piam fecit. Igitur Cardinalis, cum Ec-
 clesia Albiensis opulentia proventuum
 celebrior esset, hanc alteri prætulit; ni-
 hilominus tamen necdum dignum meri-
 tis suis præmium accepisse existimabat,
 quapropter primo occulte Pontifici indi-
 gnabatur, demum dolori suo ultra mo-
 dum indulgens, deinceps semper Papæ
 consiliis obluctatus est.

§. XLIII.

(*) Laminæ inscripti erant hi versus:

*Exerat in Turcas me Ludovico furentes
 Dexterâ: Grajorum sanguinis ultor
 ero.*

*Corruet imperium Mahumetis & inclyta
 rursus*

Gallorum virtus, te petet astra Duces.

§. XLIII.

*Pragmatica Sæditio in Gallis
quodammodo observata.*Sæcul. XV.
A.C. 1461.

Ceterum summus Pontifex non adeo copiosos, ut speraverat, fructus ex abrogata Pragmatica collegit. Rex enim in caussa Neapolitani Regni datam sibi fidem violari vehementer indignabatur, atque se a Papa illusum ratus, remissius diplomatis sui executionem urgere coepit, quinimo ipse etiam Atrebatensis Cardinalis infidelitatis suæ poenas dedit, ac Regis gratia excidit. (*) Obluctabatur

*Pithou to. 2.
de libert. Ec-
cles. Gallic.
Pinson. l. c.*

(*) Hujus promissi nec Spondanus, Odoricus Raynaldus, Palatius, Pagius, Platina, Gobelinus, Thomassinus, Petrus de Marca, P. Zalwein nec alii mentionem faciunt, hinc commentum in cerebro nonnullorum Gallorum male excoctum esse conjicimus, quo prætenfa non interruptæ libertatis jura vindicare nituntur. Solam Universitatem huic abrogationi obluctatam fuisse novimus; præterea Regem Neapolis caussam suscitasse, haud verisimile est; postquam enim Pius II. Legatorum de rebus siculis agentium rationes plene confutaverat, vid §. CXVIII. *Franco nec amplius de Regno Siciliae verba fecerunt*, ut inquit Palatius in Pium II. num. 10.

Hist. Eccles. Tom. XXIX. D

Sæcul. XV.
A.C. 1461.

batur quoque Parlamenti Curia, & Parisiensis Academiæ Doctores, eorumque rationes, quas Regi adversus Pragmaticæ abrogationem proposuerunt, haud parum conferebant, ut Rex errorem suum agnosceret; exponebant enim illi, Sanctionem Pragmaticam ejusmodi legem esse, præter quam nulla alia unquam in toto regno suam vim auctoritatemque solemnus ab Ecclesia universali recepisset; etiam Regni felicitatem non ab alia ætate, quam a legis hujus institutione suam epocham repetere; Ecclesias ab ipso Sanctionis exordio continuata serie Præsulibus omni laude dignissimis abundasse. Inde vero Parisiense Parlamentum intulit; hanc legem a Rege omnino servandam esse. Insuper Senatus Tolosanus, postquam Regium Diploma anno posteriore in Mense Aprili acceptaverat, se id nonnisi urgente Regis mandato fecisse declaravit. Horum oppositione factum, ut Pragmatica quantum ad potissimos articulos semper vim legis obtinuerit, ac ipsemet Rex successu temporis de *reservationibus*, & *expectativis* nova condiderit decreta, quamvis hæc ipsa duo capita ferme sola essent, quæ post abolitam pragmaticam in emolumentum Pontificis cesserant; proin Curia Romana usque ad concordatorum tempora nunquam voti sui plene compos facta est.

§. XLIV.

§. XLIV.

Sæcul. XV.
A.C. 1461.*Integrum Cypri Regnum a Jacobo
Notho occupatum.*

Jacobus Nothus in Regno Cypri, quod a Sultano Ægypti acceperat, cum valida classe appulit, eo consilio, ut illud vi & armorum potentia in suam potestatem redigeret. Equidem Carolina Rhodiorum Equitum auxilio suffulta, strenue hostium conatibus resistit, demum vero viribus ac numero impar Jacobo cedere compellitur. Nec tamen infestæ sibi fortunæ casibus territa, novas a Rhodiis suppetias petiit, collectisque nonnullis copiis, quibus opportune accesserant subsidia sibi a Sabaudia Duce Socero suo transmissa, Cerinen contendit, ut maritum suum, qui ibidem agebat, adhortaretur, quatenus & ipse cum exercitu suo Nicosiam procederet; semper enim firma recuperandi imperii spes eorum animis infederat. Verum Jacobus arcani consilii conscius, prior occurrit, Regisque copias fugat, cæditque, quo proelio, cum potissimi immani clade trucidati essent, reliqui ad Castellum Cerinen fuga sibi consulere compulsi sunt unacum Ludovico Sabauda, quem Jacobus ibidem obsessum tenuit. Carolina, cum universam ferme Insulam amisisset,

*Vid. supra
l. CXI.
§ 120 & seq
Gobelin.
Comment.
Pii II. l. 6.
& 7.
H. n. Sylv. in
Asia cap. 97.*

Sæcul. XV. nilque reliquum habebat, præter arcem
A.C. 1461. Cerinen, & Famagostam, quæ a Genu-
 ensibus detinebatur; unde summis cru-
 ciata Curis Romam petiit, atque Pon-
 tificis opem imploravit, a quo etiam per-
 honorifice excepta, adversos casus, &
 fortis suæ iniquitatem eidem exposuit.
 Promisit Pontifex afflictæ Reginae vali-
 dam opem, eidemque cunctas itineris
 expensas, tutumque commeatum liberali
 manu suppeditavit; in Sabaudiam enim
 ad Socerum suum proficisci cogitaverat,
 ut ab illo etiam auxilium impetraret.
 Attamen Sabaudum minus sibi benevo-
 lum quam olim non sine magno animi
 sui moerore experiebatur; quocirca recta
 Rhodum reversa est, nequidem amplius
 salutatis Galliarum finibus, quos tamen
 antea transire decreverat; Ludovicus
 autem illius Maritus, cum demum res
 suas omnino desperatas cerneret, in pa-
 triam rediit, ac tandem ad Ripaliæ con-
 ventum, qui fuerat quondam Amadæi
 Avi sui secessus, sese recepit ibidemque
 postremos vitæ suæ dies quiete transegit,
 Carolina vero Marito suo magis animosa
 Sultanum Ægypti & Mahometem II.
 placare tentabat, a quibus tamen non
 modo repulsam tulit, verum etiam Ca-
 stellum Cerinem per summam suorum
 perfidiam amisit. Tandem ergo Jacobus
 cum universo Regno, quod usurpaverat,
 quiete

quiete potiretur, Papam quoque ad suas partes pertrahere moliebatur; quare solemnem ad eum decernebat legationem, eo fine, ut Regis *Christianissimi* nomine a Papa honoraretur. Verum Pontifex hosce Legatos durius exceptos indignabundus repulit, eosque objurgavit, quod ejusmodi legationem obire præsumerent, cum tamen eorum Dominus potiori jure *impii* nomen mereretur, eoquod cum infensissimo Religionis hoste nefandum foedus pepigisset. Allusit nempe Pontifex ad illud jusjurandum, quod Jacobus Ægypti Sultano exsolvit, & Rhodii Equites nuper ad Papam transmiserant.

Sæcul. XV.
A.C. 1461.

§. XLV.

Imperii Trapezuntini exitium.

Interea Pius II. Pontifex datis ad Regem Galliarum literis significabat, quod Mahometes præter Sinopem & Trapezuntem, celeberrimas Colchidis urbes, plurima alia loca, quinimo integras etiam subegerit Provincias, ac illarum loco quædam Græciæ oppida iisdem dederit Principibus, qui sese ejus imperio per summam ignaviam submiserant. Hic denique finis fuit Imperii Trapezuntini, quod a Comnenis prima sua habuit incubula, postquam Galli ante annos ducentos quinquaginta septem Constanti-

*Chalcondyl.
hist. Turc. l. 9
Plaranz. l. 3.
c. 27. Turc.
Grac. 3.*

Sæcul. XV. nopolin occupaverant. Erat autem eo
A.C. 1461 tempore postremus Imperator David
 Comnenus, qui non ita pridem fratri suo
 Joanni successerat, & cum Rege Persarum
 fœdus inierat, eidemque Neptem
 suam in uxorem dederat. Verum paulo
 post in Græciam abductus, ob falsam se-
 ditionis suspicionem Mahometis jussu oc-
 cisus fuit. Eandem omnino sortem ex-
 periebantur ejusdem filii, etiamsi eorum
 unus Mahometanæ superstitioni nomen
 dedisset, & ambo Turcarum Imperato-
 rem affinitate attingerent.

Vid. supra
Lib. CXI.
S. 83.

Sub idem tempus Josephus Patriar-
 cha Constantinopolitanus Mahometis fu-
 rorem in se concitabat; cum enim Trape-
 zuntini Imperatoris Provestiarius, legiti-
 mam conjugem suam repudiasset, & reli-
 ctam Athenarum Principis conjugem sibi
 matrimonio jungere vellet, Patriarcha, li-
 cet a Mahomete jussus esset, hoc divortium
 ratum habere renuit; quocirca Tyrannus
 Josephum Patriarchatu amovit, eique
 barbam radi præcepit, quo apud Episco-
 pos, Græcosque Monachos summæ igno-
 miniæ nota inuri credebatur. Insuper
 eidem subrogabat Marcum patria Bizun-
 tinum, quem tamen Clerici, cum illum
 odio plusquam vatiniano persequerentur,
 paulo post sede sua expulerunt, ac juxta
 quorundam Scriptorum fidem, omnino
 lapidibus obruerunt, eoquod ab inimicis
 suis

fuis per calumniam accusatus effet, quod Sæcul. XV.
 data Mahometi II. pecunia Patriarcha- A.C. 1461.
 lem Ecclesiam emisset.

§. XLVI.

*Patriarchatus Constantinopolitanus
 venundatus.*

Interea in Marci locum Simon Trape- Spondan.
 zuntinus, hospitalitate conspicuus ele- contin. hoc
 ctus est. Hic itidem pecunia hanc se- ann. 1461.
 dem aucupatus videtur: memoriæ enim num. 18.
 proditum habetur, quod Trapezuntini,
 cum plurimum apud Mahometem gratia
 valerent, Constantinopolin delati, Sulta-
 no mille aureos obtulerint. Sultanus
 hoc munus lubenter acceptavit, non si-
 ne ingenti dedecore Græcorum, qui, cum
 usque ad illud fatale tempus libere
 suos Patriarchas elegissent, jam per turpes
 quæstus suam Ecclesiam tributis obno-
 xiam, ejusdemque dignitates omnino ve-
 nales reddebant. Hoc fuit initium
 Tributi, quod Græci *Pescesum* vocant, ac
 quotannis pendere coguntur, auctis e-
 tiam pecuniarum summis pro Sultani ar-
 bitrio. Jam ipsæ etiam mulieres vena-
 le jus in sacra sibi arrogabant; Maria
 enim, Religione Christiana, Mahometis
 Noverca hoc tributum bis mille aureis
 augeri, nec Patriarchatum nisi plus of-
 ferenti conferri præcepit, ipsumque Si-
 meonem

Sæcul. XV. meonem sede dejecit, ut Dionysium, pa-
 A.C. 1461. tria Peloponesiacum Marci Ephesii, qui
 quondam juratus Ecclesiæ latinæ hostis,
 ac accerrimus in Concilio Florentino de-
 clamator erat, discipulum intruderet.
 Ubi vero is ipse Patriarchatum dimiserat,
 rursus Simeon, iterumque Dionysius
 Sedi restitutus est. His denique vita
 functis Raphael, & Maximus, quo re-
 gnante Mahometes obiit, Patriarchæ
 Constantinopolitani eligebantur; cum
 interea Sedem hanc inter Latinos rege-
 ret Cardinalis Ruthenus, cui postea
 Bessarion successit.

§. XLVII.

*Epistola Pontificis ad Galliarum
Regem.*

Redeamus ad Epistolam, quam ad Lu-
 dovicum XI. scripsisse summum Pon-
 tificem superius meminimus; Igitur Pius
 Papa, postquam miseram Christianorum,
 qui sub Turcarum ac Saracenorum ty-
 rannide gemebant, conditionem expo-
 suit, se imparem esse professus est, ut
 solus afflictis opem ferre posset, proin o-
 mnium Regum, ac cunctorum Principum
 Christianorum auxilium sollicitè implo-
 rabat, jungens, *volvimus oculos nostros
 modo huc, modo illuc, & lustratis omni-
 bus Christianorum provinciis, nemo Regum,*
 nemo

nemo Principum nobis occurrit, qui tantæ rei subvenire posset nisi tu solus, quem Deus sui populi Salvatorem huc usque salvavit incolumem, nec permisit in manus te persequentium incidere, & Dei ope hæreditarium regnum in pace consecutus es. Recognosce igitur beneficia, quæ accepisti a Domino Deo tuo, & pro tantis beneficiis vicem repende; tolle, ut facturum spondidisti pragmaticam constitutionem, & hoc facto erige te totum in auxilium Christianæ religionis contra Turcas: Hoc est negotium te dignum, tibi hæc gloria servata est: hæreditaria hæc tibi provincia est, nam pugnare contra Turcas & vincere, & terram sanctam recuperare, & fidem salvare, & Romanam Ecclesiam honestare Francorum Regum proprium est, & hæc tu commodissime præstare potes, sapientia & rerum experientia præditus, in opulento, & pacifico & potentissimo regno sublimatus. Omnium oculi in te respiciunt, omnes afflicti te invocant, & nos præter te non videmus, qui hæc possit præstare, ideo ad te unum recurrimus Christianæ fidei defensorem. Verum Regem parum affecerunt gravissima hæc Pontificis verba, quapropter nonnisi amplissimis promissis Papam lactavit, quæ tamen exequi, nunquam in animo habuit.

Sæcul. XV.
A.C. 1461.

§. XLVIII.

Suppetiæ a Scanderbego hortatu Pontificis Ferdinando transmissæ.

*Gobelin.
comu. Pii II.
l. 6.*

Interim, Pontifex cum in regno Neapolitano Ferdinandum assidue tueretur, Scanderbegum Albanix Principem, qui Turcarum terror erat, admonuit, ut cum Mahomete inducias pacisceretur, ac Neapolis Regi adversus Calabriæ Ducem suppetias ferret. Igitur Scanderbegus cum septingentis equitibus, ac nonnullis peditum legionibus in Italiam navigat. Adventantem Ferdinandus in grati animi signum Apuliæ, quam olim pro more suo strenue propugnauerat, Præfectura auxit. Cum vero Scanderbegus intelligeret, quod Mahometes, violata etiam induciarum fide, crebris excursionibus Albaniam devastaret, rupta omni mora ad sua reversus est; verebatur enim, ne, dum aliena tueretur, perderet sua. Nihilominus Ferdinandus obstrictum se Scanderbego profitebatur; sine ejus enim auxilio vel ad turpem fugam vel ad dubii certaminis discrimen compulsus fuisset. Interim vero idem Rex suis partibus opportune adjunxit Nobilem Contigliam, cujus Filiam Masconi in conjugem dedit, ejus autem Maritum omnibus, quas olim ceperat urbibus auxit

xit, simulque Castrovillaræ Ducem crea-
 vit; Contigliæ vero, sub certis concor-
 diæ legibus, Marchionatum Coteronen-
 sem restituit. Unde Calabriensis Ducis
 factio tam suorum numero, quam poten-
 tia plurimum decrevit.

Sæcul. XV.
 A. C. 1461.

§. XLIX.

Bellum Castellanorum cum Mauris.

Sub idem tempus recruduit belli furor
 Castellanos inter & Mauros. Mule-
 jus enim Hacem, qui Ismaelis Granna-
 tensium Regis Filius erat, pacis otium
 pertæsus, inscio Patre suo, quindecim
 peditum, ac Equitum quatuor millia col-
 legit, atque his copiis auctus, in vicini-
 ores Esteponæ ditiones populabundus ir-
 rupit, secumque innumeros ferme Chri-
 stianos in duram servitutem abstraxit.
 Comperto vix tumultu, Prætores urbium,
 quæ ad fines regni sitæ erant, quan-
 tocius conscensis equis Mauros inse-
 quuntur, cuncta eis spolia diripiunt, at-
 que captivos liberant. Ismael sive re-
 rum ignarus esset, sive ignorantiam si-
 mularet, Filii sui temeritatem missis ad
 Castellæ Regem oratoribus, excusabat;
 Rex tamen illos ad alloquium nequa-
 quam admisit, sed adversus Mauros bel-
 lum paravit.

§. L.

Sæcul. XV.
A.C. 1461.

§. L.

Ruscinonensis, & Cerdanensis Comitatus Ludovico XI. a Navarræ Rege in pignus dati.

*Mariana
Hist. Hispan.
l. 23. cap. 10.*

Cum Navarræ Regina Caroli Viannæ Principis Noverca eundem veneno necari jussisset, adeo iniquam illius mortem Catalani toto studio ulcisci statuerunt; atque ideo in ipsum Regem, ejusque conjugem tam periculosam seditio- nem conflagrunt, ut Rex adversus subditos suos Ludovici Francorum Regis o- pem implorare compelleretur. Verum ab eo nihil impetrare poterat, nisi pro trecentis aureorum millibus Ceretianam sive Cerdanam in Pyrenæis, & Ruscino- nem unacum Perpignano, pignoris loco, in Franciæ Regis potestatem traderet. Hæc pacta Salvaterræ inita fuere, ubi utriusque Regis Oratores convenerant, ac mutua sibi auxilia contra quoscunque hostes pollicebantur; Ludovicus tamen Castellæ ac Scotiæ Reges, necnon Renatum Andegavensem Siciliæ Regem excipi voluit. Navarrus autem Lusitaniæ Regem, Ferdinandum Arragonium Regem Siciliæ, necnon Franciscum Sfortiam Mediolanensium Ducem exclusit. Hac pactione utrinque firmata, auxilia- ris exercitus imperium Jacobo Arme- niaco

niaco Nemosii Duci concreditum est. Sæcul. XV.
 Catalani econtra sese Castellæ Regi ad- A.C. 1462.
 junxerunt. Tandem ergo bellum para-
 tur, quod duos ferme annos tenuit; cum
 vero neutra pars prælii discrimen expe-
 riri auderet, causæ decisio Francorum
 Regis arbitrio relinquebatur. Hic igitur
 dissidentes componendi studio incitatus, *Vide §.*
 Bajonnam contendit. De ejus vero sen- *LXXX.*
 tentia in progressu historiæ mentionem
 faciemus.

§. LI.

*Ludovici XI. Oratores ad Papam
 ablegati.*

Interea Ludovicus Rex, ut epistolæ, Anno 1462.
 quam ad eum Papa perscripserat, re-
 sponderet, solemnem Legationem Ro-
 mam decernere statuit. Id muneris *Gobelin.*
 committebatur Viris tam generis nobili- *Comm. Pii II*
 tate, quam meritorum præstantia cele- *l. 7.*
 berrimis. Erat Legationis Princeps Pe-
 trus Calvimontis Comes, Vir ætate ve-
 nerabilis, ac morum integritate summe
 commendandus. Sequebantur Cardina-
 lis Atrebatensis, qui dexteritate sua in
 Regis gratiam rediit, necnon Andega-
 venfis, & Santonensis Episcopi, præter
 quosdam Abbates, & Procerum nobilis-
 simos. Hi tertia die Maji anno millesi-
 mo quadringentesimo sexagesimo secun-
 do

Sæcul. XV.
A.C. 1462. do Romam ingressi, perhonorifice excepti sunt. Atrebatensis orationem habuit, qua Regis nomine summo Pontifici obedientiam præstitit, & Pragmaticæ Sanctionis abrogationem confirmavit, simulque postulavit, ut Siciliæ regnum Renato Andegavensi redderetur, ac Genua in potestatem Regis revocaretur, postea palam querebatur, quod Pontifex Ferdinandum & Arragonenses submissis auxiliis tueretur adversus Gallos, quorum tamen merita erga Sedem Apostolicam ceteris longe ampliora essent. Ad hæc Pontifex in hunc ferme modum respondit; nostis, quod Neapolis regnum ex concessione Sedis Apostolicæ, a qua dependet, obtinuerit Ferdinandus, cum vero Renatus Andegavensis, ut illum inconsulto etiam Papa regno pelleret, nihil non ageret, hinc Ferdinandum protegere compulsi fuimus, huic tamen haud ultra auxilia submittemus, dummodo Renatus causam suam, quam æquitate fulciri existimat, secundum legum præscripta persequi velit (*).

§. LII.

(*) Haud injucundum erit, ex ipso Gobelino Papæ responsum describere; scribit ille, Pontificem dixisse: *Ferdinandum possedisse concessione Apostolica integrum regnum; a possessore Patre hæredem institutum, petiisse Regni Proc-*

§. LII.

Sæcul. XV.
A.C. 1462.

Rex Franciæ datis ad Papam literis conquestus.

Præterea plures ex Curia Romana ad Ludovicum XI. deferebantur literæ, quibus nuntiatum, quod Pius ardentius bello Siciliæ instaret, ac se Regi offensum apertius proderet, postquam Sanctionis abrogatæ diploma accepisset; Verum hisce literis summus Pontifex falso insimulabatur, (*) nihilominus Rex primæ-
 Gobelin.
 Comm. Pii II
 l. 8.
 VO

Proceres, atque omnem Italiam possessori coronam tradi, fuisse etiam traditam ex decreto Senatus, cum Mantuæ conventus ageretur: Andegavensem inconsulto Pontifice NB. naves, quas Cardinalis Avenionensis ex pecunia Ecclesiæ comparaverat adversus hostes fidei, invasisse, atque ex his classem instruxisse, qua Regni partem perturbaverit, Ferdinandumque magna ex parte ejecerit. Decuisse ergo Pium, suppetias ei mittere contra violentiam, ne Rex a se constitutus incognita causa deslitueretur. Subtracturum haud rogatum auxilia de Regno, si cessantibus armis Res ad judicium redigatur.

(*) Nempe ab Andegavensi, & Sanctonen- si Episcopis, qui, cum se ad Sedis Apostolicæ reverentiam conversos verborum artificio. Et frontis imprudentia simularent, ingentesque
 Deo

Sæcul. XV. vo naturæ suæ genio credulus, absque
A. C. 1462. ulteriore veritatis discussione, intempesti-
 væ iræ plus justo indulgebat, unde Pon-
 tifici hunc in modum rescripsit: *Existi-
 mavi pietatem tuam Maxime Pontifex be-
 neficiis vincere: abrogavi Pragmaticam san-
 ctionem: obedientiam liberam ad te misi, au-
 xilia in Turcas obtuli, concilium & res
 novas adversus Sedem Apostolicam petenti-
 bus ægre negavi. His officiis persuasum e-
 rat, si non fieres mitior, at certe durio-
 rem minime fieri: Ast contra evenit: Andegavensem,
 qui sanguis meus est, nunc potissimum regno
 conaris ejicere. Quid agam, si nequeo be-
 nefaciendo inquietum spiritum mitigare? ex-
 periarne viam contrariam? non faciam,
 non fert animus Christi Vicarium persequi,
 tenebo captum iter, & si nemo meorum est,
 qui aliter consulat: fortasse pœnitebit te a-
 liquando suscepti odii, & nostro generi fiet
 amicus, & assiduo tandem vinceris obse-
 quio. Duriora adhuc, quam ipsa Regis
 Epistola continebat, Legatus protulit,
 sum-*

*Deo gratias agerent, quod se tandem a tene-
 bris abstraxisset Pragmaticæ Sanctiōnis, & ad
 lucem Apostolicæ veritatis pertraxisset, nunc
 domum reversi, apud Regem atrocibus hisce
 calumniis appetebant Pontificem, a quo tamen
 quæcunque voluerunt, impetrarunt, atque onu-
 sti gratiosis indultis in patriam redierunt. Ita
 Gobelinus loc. cit.*

summumque Pontificem violatæ fidei in-
 simulavit, additis quoque minis, Gallos
 omnes ex Curia Romana a Rege avo-
 candos fore.

§. LIII.

*Acerbius Papæ responsum ad
 Legatos.*

Verum Pontifex ejusmodi comminatio-
 nibus nihil territus, Legatis respon-
 dit, se constanter, etiamsi Regis invidiam
 in se concitaret, proposito suo inhæsu-
 rum, quamdiu Renatus Andegavensis,
 vel ejus filius Calabriæ Dux a bello non
 desisteret; de Gallorum discessu autem
 reposuit: *Gallis libertas esto, cum velint,
 ex curia recedere, nulli claudentur portæ.*
 Ast Cardinales veriti, ne Galli Roma ex-
 cederent, Papam adeunt, eorumque
 discessum impediri rogant; ingens enim,
 inquietabant illi, tam Pontifici, quam Ec-
 clesiæ damnum inde emergeret. Præ-
 terea summo Pontifici ob oculos ponunt,
 Curiam Romanam abeuntibus Gallis
 neglectam jacere, ac præcipuo suo deco-
 re spoliari. Nec deerant, qui suas quo-
 que Cardinalium precibus jungerent, sed
 cunctis reposuit Pontifex: intentata
 Regis indignatio solis restringitur ver-
 bis; non exequentur Galli ea, quæ ore
 minantur, & quamvis abire simulent,
 lubenter tamen Romæ persistent.

*Comment.
 Pii II. loc. cit.*

Hist. Eccles. Tom. XXIX.

E §. LIV.

Sæcul. XV.
A C. 1462.

§. LIV.

Papa denuo a Rege Galliae & Burgundiae Duce auxilia sollicitat.

Interim Pius II. Turcas armis compescere tanto studio anhellabat, ut, quo magis videret Principes a concepto proposito alienos, tanto ardentius hanc expeditionem ipse suscipere decerneret. Quare datis ad Ludovicum XI. literis decies mille armorum usu exercitatos milites sibi mitti rogat; Ducem quoque Burgundiae stimulat, ut votum, quod de itinere ad bellum sacrum ineundo nuncupaverat, exsolveret. Cum vero Pontifex haud temere judicaret, quod incassum Gallis æque ac Burgundis sacram hanc militiam persuaderet, nisi etiam Veneti, quibus maria parebant, foederi accederent, hinc primo eorum voluntatem explorabat, postquam vero facturos eos accepit, quæcunque ipse juberet, legavit in Gallias Laurentium Episcopum Ferrariensem. Hic cum Regem adhuc ira commotum cerneret, nihil aliud responsi accipere potuit, quam brevi a Rege ad Pontificem Legatos fore mittendos, qui hac super re, & de Sicilia negotio cum eo agerent. Inde Episcopus Burgundiae Ducem adiit, quem cum ex morbo convalescentem reperisset,

perisset, longe gratius ab eo, quam a Sæcul. XV.
 Galliarum Rege responsum tulit; Dux A.C. 1462.
 enim pollicitus est, ubi pristinae restitu-
 retur sanitati, se non solum voto suo
 satisfacturum, verum etiam prompto a-
 nimo omnia executurum, quæ Papa
 mandaret. Omnes has adeo speciosas
 pollicitationes effectus fefellit; Pontifex
 tamen gaudio plenus, tam generosam
 Burgundi voluntatem gratam habuit.

§. LV.

*Dux Calabriae a Ferdinandi copiis
 cæsus.*

Post hæc misit Ludovicus Rex, sicut Gobelin in
 Ferrariensi Episcopo promiserat, Ro- Comm. Pii II
 mam legatos, qui in Neapolis Regno ab l. 10 & 11.
 armis desisti peterent. Interea nuntia- Pontan. l. 8.
 tum erat Pontifici, quod Joannes Cala- Paul. Jov.
 briæ Dux apud Trojam Apuliæ urbem in elog.
 magna clade affectus esset, & Princeps
 Tarentinus parta hac victoria ad Ferdi-
 nandum defecisset, quamvis Joannem ad
 hujus belli consilia induxisset, quem ta-
 men nullatenus in Regem proclamari vo-
 luit, ut ulterius ipse solus pro suo arbitrio
 regnum moderari posset. Accepto hoc
 nuncio Pontifex haud amplius de indu-
 ciis agi patiebatur, sed Neapolitani Re-
 gis, cui semper impense favebat, vo-
 luntati cedebat. Quapropter adeo non
 E 2 extin-

Sæcul. XV. A. C. 1462. extinguebantur belli flammæ, ut etiam Andegavensis factio, Picinino ductore celeberrimo plura oppida Ferdinando eriperet; & Papam comperto prospero hujus Belliducis successu, inducias recusasse poeniteret. Verum brevi dejectum Pontificis animum erexit idem Picininus, qui icto cum Ferdinando foedere, illius partes tuendas suscepit, & sua defectione Calabriæ Ducem ad tantas redegit angustias, ut demum exceptis quibusdam exiguis castellis, omnes continentis urbes amitteret, & in Insulam Ænariam secedere compulsus esset. Aliquo tamen post tempore idem Picininus a Ferdinando Neapoli comprehensus, in carcerem detrudebatur, ubi paulopost misere periit, sparso in vulgus rumore, quod in carcere suo fors fallente gressu cadens crus fregerit, eoque vulnere obierit.

Ischia

Platin. in Paul. II.

§. LVI.

Legati a Rege Bohemiæ ad Papam missi.

Cochl. hist. Hussit. lib. 12. Ineunte hoc anno Podiebracius Bohemiæ Rex Romam misit celebrem nonnullorum Bohemiæ Baronum, Doctorum ac Clericorum legationem, cujus Princeps fuit Procopius Rabenstein Cancellarius regni. Podiebracius, cum illius fides Catholicis maxime suspecta esset,

esset, & præcipue Wratislaviensibus, qui secul. XV. A.C. 1462.
 hanc ob causam eidem obsequi renue-
 rant, hac legatione nominis sui famam
 farcire intenderat. Hanc ob causam O-
 ratoribus negotium dedit, ut ejus no-
 mine Sedi Apostolicæ omnimodam spon-
 derent obedientiam, peterentque, ut Ro-
 manæ, ac ceteris Orbis Catholici Eccle-
 siis aggregatus haberetur, ea tamen
 lege, ut Bohemorum pacta in Basileensi
 Synodo proposita approbaret Pontifex.
 Hujus Legationis Principem Podiebra-
 cius Procopium designavit, spe fretus,
 quod Pontifex eidem ob veterem Viri a-
 micitiam, cum jam ante Pontificatum
 compertam illius fidem haberet, facilio-
 res aures daturus esset.

§. LVII.

*Papa Legatorum precibus oblu-
 ctatus.*

Verum Regis consilium eventus fefel-
 lit. Pius enim conditionem sibi pro-
 positam acceptare renuit, atque Podie-
 bracio succensens, in hæc verba proru-
 pit: regnum hoc erroribus infectum, at-
 que illius Rex Ecclesiæ rebellis, necnon
 a vera fide alienus est. Non ergo ultra Po-
 diebracius ambiguus utatur verbis, sed
 sincere Romanæ Ecclesiæ sese uniat, sin-
 vero, regnum ejus stare haud poterit.

E 3

Acce-

Sæcul. XV. A C 1462. Accepto responso Oratores re infecta domum revertuntur, & Pragam ingressi, in generalibus regni comitiis, quæ ad decimam Augusti diem S. Laurentio sacram indicta fuere, ad alloquium admittuntur. Podiebracius comperto Pontificis responso adeo exarsit, ut iræ suæ imperare nescius, in Papam & Apostolicam Sedem vehementius inveheretur, palamque ediceret: immerito Papa obedientiam sibi præstari postulat, cum superiori deroget auctoritati; Synodo enim inferior est. De cetero nunquam ab obsequio Romanæ Ecclesiæ debito discessi; quia vero in usu Communionis sub utraque specie educatus, atque enutritus sum, ita & in eadem fide & vivere & mori volo. Nimirum præcipuus hic erat articulus, qui tum vel maxime agitabatur.

§. LVIII.

Nuntius Pontificius, & Rabesteinius irati Regis jussu inclusi.

Comment. *Pii 11. lib. 10* *Duhrav 1. 30* *Papiensis 1. 6* Cum iracundiæ motus, nisi rectæ rationis legibus coerceatur, cuncta moderationis repagula disrumpat, Regem quoque ad tantos furoris impetus concitavit, ut Fantinum de Valle, a Pontifice, ut Baronibus Catholicis Romæ acta referret, unacum Oratoribus Bohemis ablegatum comprehendi

di juberet, dicens: Fantinum non ut Legatum Pontificis sed ut meum olim Procuratorem in arctissimum carcerem conjicere compellor. Pariter Procopium Rabesteinium custodiæ dedit, & officio Cancellarii exuit, caussatus, ambos demando eis muneri defuisse, eoquod nimis segniter Regis, regnique caussam e-gissent. Verum sedata indignationis suæ violentia Nuntio libertatem, & Procopio pristinam restituit dignitatem; Fridericus enim Imperator, & Ludovicus Bavarix Dux pro utroque deprecabantur. Postea Fantinus carcere solutus, Romam rediit; Procopius vero ad Imperatorem missus, Bohemorum res curavit.

Sæcul. XV
A.C. 1462.

§. LIX.

*Suppetiæ a Rege Bohemiæ Imperatori
adversus Albertum ejus fratrem
latæ.*

Aliquo post tempore Fridericus Imperator Viennæ in Austria ad arcem fugere compulsus est, ubi ab Alberto fratre suo tam arcte cingebatur, ut missis O-ratoribus Podiebracii opem implorare cog-eretur. Rex comperto mox extremo Cæsaris discrimine, quantocius die octava Novembris Praga in Austriam con-tendit, ubi insigne prorsus prudentiæ ac

E 4

mili-

Sæcul. XV. A.C. 1462. rem enim tam dextre gessit, ut nullatenus Imperatorem hostium suorum manibus eripere, sed potius inter eos pacem conciliare crederetur; quippe præprimis postulabat, ut Cæsari ex arce progrediendi libertas, ac cum fratre suo colloquendi copia daretur. Verum Podiebracius hoc ipso stratagemate Fridericum obsidentium potentia subtraxit.
Comment. Imperator hujus beneficii memor, apud
Pii II. l. 10. Pium Pontificem pro Podiebracio deprecatus est, ne, prout decrevisset, poenarum severitate in eum ageret, sed potius iram suam exerere differret, spatiumque Podiebracio concederet, ut juxta datam ab eo fidem ad Ecclesiæ, ac Sedis Apostolicæ obsequium redire posset. Annuit precibus Imperatoris Pontifex, eaque res Podiebracii animum mira voluptate affecit.

§. LX.

Ambo Podiebracii Filii a Cæsare Imperii Principes creati.

Neque hic gratus Friderici animus erga Bohemiæ Regem stetit, sed ambos quoque ejusdem Filios Victorinum, & Henricum honorare statuit, quapropter utrumque auctoritate Cæsarea Imperii Principes creavit.

§. LXI.

§. LXI.

Sæcul. XV.
A.C. 1462.*Submissa Bohemica Regis epistola ad
Papam.*

Podiebracius Pontificis mansuetudine expugnatus, alios ad eundem Legatos decernit, qui ea, quæ in Pragensibus comitiis perperam gesta fuissent, excusarent. His etiam literas tradidit submissione plenas, in quibus Papam rogabat, quatenus Wratislavienses eo adduceret, ut illum tanquam suum Regem agnoscerent, debitumque ei obsequium, prout fideles subditos decet, præstarent, vicissim vero pollicebatur Rex, quod deinceps sacrae Sedi in omnibus morem gerere velit. Datae sunt hæc literæ die tertia Martij anno millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio. Ceterum Podiebracius ad reducendos Wratislavienses Pontificis operam ea ex causa implorabat, quod isti Regi suo ob hæresin, qua eum infectum credebant, obtemperare constanter detrectassent; quin imo in hac sua constantia olim firmabantur ab ipsomet Pontifice Pio II. qui quadam Constitutione hanc in rem edita illos a præstito fidei Sacramento absolvit, & Podiebracio sub pœna anathematis inhiuit, ne eos ad suam obedientiam vi compelleret.

Cochl. hist.
Huffit. lib. 12

Sæcul. XV.
A. C. 1462.

§. LXII.

Tres Principes Ecclesiæ rebelles excommunicati.

Hoc anno feria quinta Majoris hebdomadæ Pius Pontifex publice innovavit anathematis sententiam, quæ jam antea pronunciata fuerat in Sigismundum Austriacum, Gregorium de Heimburg, & alterum Sigismundum Malatestam Ariminensem Principem, necnon adversus ejusdem fratrem Cæsennæ Rectorem, qui ambo sæpius requisiti, debitum Ecclesiæ Romanæ censum persolvere contempserant. Cum vero Ariminensis omnem Religionis sensum abjecisse, & immortalitatem animæ negasse convinceretur, hæresis damnatus fuit, ejusque effigies publice ante gradus Basilicæ S. Petri combusta est. Ipse autem, cum a copiis Pontificiis apud Senogalliam cæsus, Arimini obsideretur, ac ex omnibus Ecclesiæ bonis, quæ usurpaverat, nonnisi plura admodum castella possideret, his angustiis pressus, summi Pontificis clementiam exoravit, obtinuitque veniam, ea tamen lege, ut per suos Procuratores in Basilica S. Petri in die festo, dum res divina ageretur, palam profiteretur, quod errores fidei, de quibus accusatus erat, asseruisset, demum
vero

vero illos abjuraret, atque id ipsum per se Arimini ageret: hanc autem urbem ex benignitate Apostolica-Vicariatus nomine rursus acciperet, deinceps vero quotannis mille aureorum censum Romanæ Curiae penderet, quamvis ceteroquin criminis læsæ Majestatis tam divinæ quam humanæ reus fuisset. His adimpletis, Malatesta sub Venetorum signis in bello Peloponnesiaco contra Turcas ingenti fortitudine militavit, ac demum Arimini vita excessit.

*Sæcul. XV.
A.C. 1462.*

§. LXIII.

Turcarum progressus contra Christianos.

Interim in Hungaria bellum cum Mahomete II. exarsit; Turcæ enim, quamvis non nisi levia cum hoste prælia committerent, & decretoriæ pugnae discrimen sedulo declinarent, nihilominus haud exiguam Hungariæ ac Walachiæ partem occupabant, & Transilvanensem ingressi Provinciam, impositis ubique tributis, opimam inde prædam asportabant, Dalmatiam quoque crebris excursionibus depopulabantur. Ceterum inter præcipuas, quas hoc anno Mahometes reportavit victorias, merito recensenda est expugnatio Insulæ Mitylinensis, quæ alio nomine Lesbos dicebatur.

*Comm. Pii II
lib. 10.
Bonfin. 3.
decad. 10.
Chalcondyl.
l. 9. & 10.*

§. LXVI.

Sæcul. XV.
A.C. 1462.

§. LXIV.

*Insula Mitylenes a Mahomete
capta.*

Mahometes hostilem hujus Insulæ invasionem, ut honestiore fuce coloraret, obtendebat, quod illius Princeps Dominicus Catiluffus nomine, alias Gateluzius, origine Genuensis Piratis tutum præberet receptaculum, ac cum illis spolia ex latrociniiis corrasa partiretur, aliunde vero fratrem suum, ut se in principatu hujus Insulæ firmaret, neci tradidisset. Hoc verosimili ultionis commento munitus Mahometes, urbem Mitylenem hujus Insulæ Metropolin cinxit, eamque post diurnam juxta ac generosam obsessorum repugnantiam tandem in deditionem accepit pactis quibusdam conditionibus. Has inter præcipua erat, ut Catiluffo, suisque vitæ venia concederetur. Nihilominus Mahometes violata fide hunc Principem paulo post trucidari, ac trecentos Piratas, quos in Insula reperit, summa prorsus atrocitate medios dissecari jussit, idque mortis genus tyranno eo magis placuit, quo illius hostes crudelius perirent. Post hæc Primores hujus urbis Constantinopolin abduxit, tum ut eos velut obsides haberet, tum ut urbem, quam Imperii sui

fui Metropolin constituit, novis rursus incolis frequentiore redderet.

Sæcul. XV.
A.C. 1462.

§. LXV.

Castellæ Regina Filiam enixa.

Dum interea Mahometes tanta crudelitate in Christianorum viscera grassabatur, Henricus Castellæ Rex ditiones Navarræ Regis populabundus invadit, urbemque Vianam occupat, ut Caroli Vianæ Principis, qui præfati Navarræ Regis Filius erat, necem ulcisceretur. Verum paulo post ad suas ditiones reversus est, accepto nuncio, quod sui Proceres graviter contra eum quererentur, eoquod procreandis prolibus inhabilis. regnum successore destitueret. Hanc ob rem rupta omni mora Arrenaldum contendit, suamque Sororem Isabellam, necnon Alphonsum fratrem, qui ibidem tum agebant, secum Vallisoletum duxit, ut eosdem imperii sui hæredes proclamaret. Cum vero Henricus nimis propensum, quo omnes certatim Alphonsum colebant, obsequendi studium sibi suspectum haberet, mutavit consilium, & subditis suis conquerendi finem, simul & regno successorem procurandi medium excogitavit. Quippe Virum habebat sibi in paucis carum, præstantia formæ ac corporis habitu inter omnes aulæ proceres facile

cile

Sæcul. XV. cile principem, Bertrandum de Cueva
A.C. 1462. nomine; Is a primis ferme unguiculis
 gratiam Regis aucupatus, primum ho-
 norariis accensebatur ephēbis, postea Re-
 gii Palatii Magister, ac demum ad prima-
 rias Regni dignitates evectus claruit.
 Huic quoque Rex conjugem dedit Fi-
 liam Marchionis de Santilana, ex illu-
 strissima Familia de Mendoza ortam, Al-
 phonsam vero Cuevam fratrem ejus
 ad Episcopalem Valentiaē Sedem nomi-
 navit.

Mariana
hist Hispan.
l. 23 c. 4. &
seq.

Ledesma

Regina, quæ Bertrandum deperibat,
 & ex Henrici thoro nunquam liberos su-
 sceperat, præter spem uterum gestans,
 filiam peperit, quam Joannam a Matris
 nomine vocavit, eamque Rex legitimam
 regni sui hæredem proclamari jussit.
 Jam publico rumore Rex carpebatur, eo-
 quod furtivos Reginae cum Cueva amo-
 res non modo non redarguisset, sed etiam
 eundem Bletisæ Comitem creasset, ac
 Magistri Palatii dignitatem, qua prius
 Cueva fungebatur, Andreae de Cabrera
 contulisset. Posthæc Regina rursus
 gravida filium enixa est; sed immaturo
 foetu; cum enim illa tum Arandæ age-
 ret, fulmen cubile ejus tanto fragore dis-
 cussit, ut inde vehementius territa abor-
 tum pateretur. Ceterum summa, qua
 Bertrandus apud Regem valebat gratia,
 Aulicos non parum offendit, horum quo-
 que

que æmulationem atque invidiam Isabella Regis Soror in rem suam opportune vertit, tantumque indignationi suæ indulgit, ut non modo Regis fratris sui impotentiam propalare non dubitaret, sed & Infantem Joannam, quæ Regis Filia credebatur, ex adulterinis Reginæ & Cuvæ amplexibus susceptam esse libere in vulgus spargeret, aliis vero suggereret, quod Rex suæ conjugis libidini eo duntaxat consilio indulgisset, ut Isabellam, ejusque fratrem Alphonsum Regno excluderet. Cum autem Alphonsus paulo post fati fungeretur, Isabella unica Regni hæres remansit, ac post diuturnos, acresque belli tumultus, quibus a Joanna æmula sua exagitabatur, tandem Henrico fratre suo vivis erepto, regni coronam adeptæ est.

Sæcul. XV.
A. C. 1462.

§. LXVI.

Controversia de Sanguine Christi.

Exeunte hoc anno celebris exorta est quæstio inter fratres Minores & Prædicatores *de Sanguine Christi in triduo Passionis*. Disceptabant inter se; *utrum sanguini a corpore Christi separato adhæserit Verbum divinum*. Cum enim Jacobus de Marchia Ordinis FF. Minorum Alumnus, ac S. Bernardini Senensis quondam discipulus, die Paschatis sermonem

Sæcul. XV.
A.C. 1462.

monem ad populum haberet, atque affirmaret, quod Christi sanguis, qui triduo illo jacuit in terra sparsus, cultu latræ adorandus non esset, eoquod cum Verbo *Hypostatice* haud amplius uniretur, Inquisitor hæreticæ pravitatis rem edoctus, confestim hanc opinionem revocari, ac interim contrariam doctrinam per quemdam Dominicanum prædicari iussit. Paulo post crescente contententium ardore, in ipso etiam populo schisma exortum est; prout enim quisque vel S. Dominici vel S. Francisci Discipulis affectus erat, huic vel alteri parti sua studia devovit: Ne vero ex hisce utriusque Familiæ dissidiis graviora nascerentur mala, res ad Apostolicam Sedem remissa est, ut maturiori examine discussa tandem definiretur.

§. LXVII.

Quæstio coram Pontifice agitata.

*Gobelin.
Com. Pii II.
l. II.*

Hac super re Pontifex doctissimos quosque utriusque S. Ordinis Theologos convocabat. Hi Romam conveniunt, ac præsentem summo Pontifice, Cardinalibus, Episcopis, & innumeris ferme Doctoribus hujus controversiæ momenta & rationes utrinque proferunt, tanto disputationis æstu, ac vincendi ardore, ut quamvis mediæ hyemis frigus membra
con-

constringeret, ipsi tamen ex vocis ac gestus contentione copioso sudore maderent; Sæcul. XV.
A.C. 1462.
Fratres Minores patriæ cultum exhibendum esse inficiabantur, id Prædicatores affirmabant, nec tamen, quod totus sanguis in Passione Salvatoris nostri effusus a Christo resumptus fuerit, asserere audebant, ne Pii Papæ literis adversari viderentur, quibus declaraverat, doctrinam, quæ portionem aliquam veri Sanguinis Christi in terris remansisse traderet, non esse Christianæ Religioni contrariam. Disputatione jam in tertium diem protracta, Papa cum Cardinalibus frequenter hac super re conferebat, ubi plerique sententiam Prædicatorum approbabant, nec tamen consultum fore censebant, ut hæc quæstio definitivo iudicio dirimeretur, ne Fratrum Minorum, quorum opera ad prædicandam S. militiam erat necessaria, offenderetur pietas. Quapropter summus Pontifex nonnisi Anno millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto, die ante obitum suum decimo quinto Constitutionem edidit, qua ad pacem inter utrumque S. Ordinem iustitate servandam prohibuit, ut nulli Fratres ex Minorum aut Prædicatorum institutis prædicarent, disceptarent, aut publice vel privatim verba facerent de hac quæstione, aut docerent, quod hæreticum sit, tenere vel credere Sanguinem ipsius

*Extat Bulla
tom. I. Pii II.
Constit. II.*

Hist. Eccles. Tom. XXIX. F Jacra

Sæcul. XV. *sacratissimum triduo Passionis ejusdem Do-*
A. C. 1462. *mini nostri Jesu Christi ab ipsa divinitate*
fuisse, vel non fuisse divisum vel separatum:
 donec, quid ea de re tenendum esset, a Se-
 de Apostolica fuisset definitum, idque sub
 poena excommunicationis hujus Decreti
 violatoribus irroganda prohibitum fuit.

Suarez in 3. Sanchezius & Vasquez hanc quæstionem
part. 1. disp. pertractant, dictam tamen Constitutio-
15. q. 5. art. nem ignorasse videntur. Ceterum Du-
4. Sect. 6. pinus observat, jam olim ejusmodi quæ-
Dupin. Bibl. stionem in Santonensi Dioecesi motam
Script. tom. fuisse, nimirum, an credere oporteat, quam-
12. p. 4. dam portionem Sanguinis Christi in cruce
p. 145. effusi remansisse in terris. Additque, theo-
Vasquez logicam facultatem Academiæ Parisien-
disp. 36. q. 5. sis hac super re Anno millesimo quadrin-
art. 2. cap. 4. gentesimo octavo consultam, die vigesi-
 ma octava Maji censuisse, quod hæc opi-
 nio fidelium pietati non sit contraria.

§. LXVIII.

Historia Byzantina Ducasii.

Hoc anno Ducas Græcus Scriptor By-
 zantinam suam Historiam absolvit;
 in ea recenset omnia, quæ gesta fuere ab
 Anno millesimo trecentesimo quadragesi-
 mo primo sub Imperatoribus Constanti-
 nopolitanis, Joanne Manuele, Joanne,
 & Constantino Palæologo. Historiam
 suam protrahit usque ad Constantinopo-
 lis

lis expugnationem, & totius imperii ex-
 cidium. Chalcondylis historiam anno-
 rum amplitudine superavit; gestorum
 enim seriem a prioribus sæculis repetens,
 digniora etiam, quæ seniore Andronico
 rerum potiente evenerant, carptim deli-
 bat; aliunde excellenti in discernendis re-
 bus sagacitate, atque prudentia præpol-
 let. Præterea Michaellem Ducasium
 Avum suum pluribus commendat, eum-
 que omni scientiarum genere, præsertim
 vero Medicinæ studio apprime excultum
 deprædicat, in ultimo autem Historiæ
 suæ capite refert, se a Catilusso, seu Ga-
 teluzio Insulæ Lesbos Principe ad Ma-
 hometem II. ut ei annum penderet tri-
 butum, missum fuisse. Typis edita Du-
 casii Historia prodiit Lupaeræ Anno mil-
 lesimo sexcentesimo quadragesimo nono,
 opera Ismaelis Bullialdi, qui eandem ver-
 sione latina, atque notis locupletavit.

Sæcul. XV.
 A.C. 1463.

Bouillaud.

§. LXIX.

Bosnia a Turcis occupata.

An. 1463.

Ceterum summus Pontifex assiduis an-
 gebatur curis, ut in Turas, qui in-
 dies latius grassabantur, bellum moveret,
 eorumque prosperos successus inhibendi
 consilia maturare posset. Neque par-
 vum proposito calcar addebant Bosnia
 Principis Oratores, qui hoc anno Ro-

Gobelin.
 Comment.
 Pii II. l. II.
 Chalcondyl.
 hist. Turc.
 lib. II.
 Leunclav.
 pand. 141.
 162.

F 2

mam

Sæcul. XV. A.C. 1463. mam delati auxilia aduersus infideles pe-
tebant: cum enim eorum Princeps non
ita pridem Patri suo successisset, simul
datum eis erat negotium, ut pro eo Re-
giam coronam a Pontifice obtinerent.
Rogabant etiam, ut illis Papa transmit-
teret Episcopos, qui regionis hujus sub-
ditos a Manichæorum hæresi recens con-
versos fidei Catholicæ doctrinis imbue-
rent. Annuit Papa pollicitus, se pro-
virium suarum facultate auxilium, nec-
non Episcopos ad eorum ditiones trans-
missurum, simulque datis literis Hunga-
riæ Regem, Venetosque inducturum,
ut & ipsi oppressis opem ferrent. Coro-
nam vero, inquiebat Pontifex, sine indi-
gnatione Regis Hungariæ mittere non
possum; vester enim Princeps hujus Re-
gis vasallus est, ejus tamen voluntatem
prius explorabo, ac demum eo consenti-
ente, mox per Legatum diadema regium
transmittam. Ceterum ab antiquis retro
temporibus Bosna seu Bosnia in Regnum
erecta fuerat, ac propriis suis Regibus ab
Anno millesimo trecentesimo quinquage-
simo septimo usque ad præsentem diem
parebat. Situm est hoc regnum inter Flu-
vios Wannam seu Unnam, Savum & Dri-
num, & a Flumine Bosna, cujus ripis
adjacet, nomen trahit. Dividitur in supe-
riorem Bosniam, quæ meridiem spectat,
& alias Ducatus S. Sabæ seu Herzego-
vina

vina dicitur, & in inferiorem, quæ Se-
 ptentrionem respicit. Hujus Regni Me-
 tropolis est Jaycza, quam Mahometes
 unacum toto regno hoc ipso Anno Chri-
 sti millesimo quadringentesimo sexagesi-
 mo tertio in suam potestatem redegit, &
 Stephano inter Bosniae Reges postre-
 mo, ac hujus nominis quinto cutem
 vivo detrahi jussit; ejusdem vero uxor,
 Catharina nomine, Romam se recepit,
 ibidemque anno millesimo quadringente-
 simo septuagesimo octavo obiit. Hic erat
 infelix Bosniae status, in quo hujus
 Regis Legati Roma reduces patriam
 suam invenerunt.

Sæcul. XV.
 A.C. 1463.

§. LXX.

*Jaycza Bosniae Metropolis ab Hun-
 garia Rege obsessa, & capta.*

Cum interea Turcæ, subacta Bosnia,
 aliis expugnationibus intenti essent,
 Matthias Hungariæ Rex eorum absen-
 tiam in rem suam opportune vertebat.
 Igitur Jayczam urbem, quæ Bosniensis
 Regni caput est, accerrima obsidione pres-
 sit, atque omni ex parte mœnia tanto
 impetu aggressus est, ut præter viginti
 septem oppida circumvicina ipsam urbem
 vi caperet. Hujus loci jactura tantope-
 re Mahometis animum afflixerat, ut ad
 desperationem redactus videretur; unde

F 3

con-

Sæcul. XV. A.C. 1463 confestim exercitum eo duxit, totoque belli apparatu urbem aggredi statuit, nihilque intentatum reliquit, ut eam jam undique cinctam rursus suæ potestati subjiceret. Ast ubi Hungaros magno numero laboranti urbi suppetias ferre intelligeret, concubia nocte obsidionem solvit, ac fuga se proripuit, postquam in præterfluentem cunctas belli machinas, ac tormenta projecerat. Hæc Mahometis fuga non minoris lætitiæ, quam gloriæ argumentum erat Jayczenibus, qui omnes tam viri, quam foeminæ imo & ipsi infantes hostem depellere intenti erant, & promiscua sollicitudine militaria munia diu, noctuque obire non cessabant.

§. LXXI.

*De Corpore S. Lucæ Jaycza
Venetias translato.*

*Bonfin.
dec. 10.
Leunclav.
lib. 16.*

Nonnullorum Scriptorum testimonio discimus, quod in prima Jayczæ oppugnatione a Turcis facta, Franciscani corpus sacrum ibi a multo tempore aservatum, quod S. Lucæ Evangelistæ dicebant, asportaverint, ac Venetias delatum, in Ecclesia B. Jobi deposuerint. Ast cum idem S. Lucæ corpus jam antea Patavii in monasterio S. Justinæ fuisse depositum, assererent Monachi, mota inde est gravis controversia. Consilium a Pon-

a Pontifice petitur, qui decisionem suam Sæcul. XV.
 ad Cardinalem Bessarionem tunc Vene- A.C. 1463.
 tiis agentem transmisit; cum autem ille
 verum corpus a Franciscanis nuper allatum
 fuisse pronuntiasset, Monachi S. Justinæ
 a Bessarionis sententia ad Sedem Apostolicam
 provocarunt, ac velut præcipuum suæ causæ
 momentum allegabant, quod Gregorius Magnus,
 antequam in Papam electus esset, Constantinopolim
 a Pelagio ejus Prædecessore missus ibidem
 Legatum egisset, ac Romam redux, caput
 S. Lucæ unacum brachio ad eandem urbem
 detulisset, illudque in monasterio S. Andreæ
 ab eo fundato collocasset, ex quo inferebant,
 quod, cum corpus Jaycza translatum, integrum
 esset tam aliis membris, quam capite, Patavii
 vero apud Monachos S. Justinæ non nisi caput
 asservaretur, longe vero similius esset, quod
 illud cujusdam alterius S. Lucæ ab Evangelista
 diversi corpus foret. Cum vero hæc rationum
 momenta haud plene convincerent, res forte
 ob maximam Bessarionis auctoritatem tum
 indecisa permansit, donec Gregorius XIII.
 suæ integritati Martyrologium Romanum
 restituens, pro Patavino Corpore sententiam
 tulisse crederetur ex eo, quod ad diem
 decimam octavam Octobris annuntiari
 præceperit *Festum S. Lucæ Evangelistæ,
 cujus ossa Constantinopolim*

Sæcul. XV. *nopolim translata sunt, & inde Patavium*
 A C 463. *delata.* Bailletus de cultu hujus Sancti
 diliterens ait, haud firmo satis documen-
 to comprobari, quæ de S. Gregorio Ma-
 gno recensentur, infirmiori tamen adhuc
 inniti fundamento eorum opinionem,
 qui S. Lucæ corpus aut Venetias, aut
 Patavium translatum fuisse asseverant.

*Baillet de
 Vit Sancti.
 ad 18 Octobr
 tom. 3.*

§. LXXII.

*Venetorum molimina de Peloponneso
 Turcis eripiendo.*

Cum Venetis nuntiatum esset, quod
 Mahometes cunctas copias ex Græ-
 cia evocasset, ac Bosniam occupare mo-
 liretur, opportunum omnino tempus ad-
 ventasse existimabant, quo absentibus
 Turcis Peloponesum suæ potestati sub-
 jicere possent. Erat hæc regio inter
 omnes Græciæ insulas commercii op-
 portunitate longe celeberrima; abunda-
 bat insuper tritico, vino, cunctisque aliis
 rebus ad vitæ humanæ usum necessariis.
 Igitur Veneti ad recuperandam hanc in-
 sulam ingentem classem instruunt, Præ-
 fecto Aloysio Lauredano, quem sub ob-
 tentu Cubææ Insulæ a Turcarum insulti-
 bus vindicandæ in Orientem navigare
 jusserunt; potestatem insuper eidem de-
 derunt, ut bellum, si Reipublicæ utili-
 tas exposceret, Mahometi inferret, &
 Pelo-

Peloponesum occuparet. Demum iidem Albanenses, & Insulanos auxilio adfuturos, Aloyfio pollicentur. Hic jamjam iussa exequi parat, cum ecce! nuntium deferatur, Mahometem prospero armorum successu totam ferme Bosniam occupasse; cum ergo Veneti classem suam inopinato impetu a Turcis obrui pertimescerent, summi Pontificis opem implorant, qui etiam Bessarione Cardinale Venetias misso, eisdem spem auxilii præbuit, metumque invasionis dissipare conatus est, tam felici eventu, ut Veneti resumptis animis bellum in Turcas publice decernerent, illudque Lauredanus tam prospero Marte gereret, ut Isthmum occuparet, ac munimentis firmaret, necnon Lemnos, & complures Insulas Ægæi maris, abjecto Turcarum jugo Venetorum imperio adjungeret.

Sæcul. XV.
A.C. 1463.

Comment.
Pii II. l. 12.
Chalcondyl.
lib. 10.
Phranz. l. 3.
cap. 27.

§. LXXIII.

Epistola Scanderbegi ad Papam de pace cum Turcis inita.

Rebus tam prospere succedentibus vehementer lætabatur Pontifex, brevi tamen paulisper imminutum est ejus gaudium, dum legationem accipit a Scanderbego, simulque comperit, quod Mahometes Scopiam urbem ad Bosniæ, & Albanæ fines sitam, cum innumeris

F 5 pene

Sæcnl. XV. pene copiis invasisset, Scanderbegus vero, cum tantæ potentiae vires suas resistendo impares cognosceret, unicum conservandæ Provinciæ remedium reliquum habuerit, ut pacem ab hoste peteret. Si vero, addebant legati, summus Pontifex bellum a Scanderbego adversus Turcas restaurari cuperet, tunc eidem in Patrimonio Ecclesiæ tutum quoddam receptaculum designaret, quo, si regno pelleretur a Turcis, se recipere, ibidemque quiete vivere valeret. Ad hæc Pontifex respondit, quod pacem a Scanderbego initam haud reprobaret, eoquod dura conservandæ Provinciæ necessitate extorta fuisset, simulque Scanderbegum certum esse iussit, quod eidem in agris Ecclesiæ tutus refugii locus nunquam defuturus esset, si pro tuenda religione decertans a fidei hostibus regno suo ejiceretur. Hæc Gobelinus, cui majorem fidem tribuimus, quam vitæ Scanderbegi Scriptoribus, qui referunt, quod post reditum suum ex Italia plurimas de Turcis victorias reportaverit, ipsumque etiam Mahometem eo adegerit, ut pacem efflictim ab eo peteret; addunt etiam iidem Historici, quod Sultanus pacem vix a Scanderbego obtentam mox Venetis, & Archiepiscopo Dyrrachiensi suadentibus violaverit.

§. LXXIV.

§. LXXIV.

*Pii Papæ apparatus bellici
contra Turcas.*Sæcul. XV.
A.C. 1463.

Interea omnes assidue in id incumberebant, ut cunctis ad bellum sacrum dispositis Christianorum exercitus quam celeriter in aciem educi posset. Hanc in rem summus Pontifex denuo Oratores suos ad Burgundiæ Ducem ablegavit, quem cum in fidei tuendæ studio constantem cerneret, ceteros quoque Italiæ Principes hortabatur, ut & ipsi Legatos ad Mensen Septembrem Romam decernerent. Horum primi urbem ingrediebantur Ducis Burgundiæ Legati, qui nunciabant, suo Duci nil deliberatius esse, quam ut ipse proximo vere classem in Turcas duceret, bellumque totis viribus pro fidei defensione susciperet: quapropter nec corpori suo, licet annorum numero ferme exhausto, parsiturum, ac non solum Ducis, sed militis quoque munia subiturum; nisi forte tunc tam adversa premeretur valetudine, ut ipse bello interesse impediretur, eo tamen casu quemdam missurum, qui ejus vices non minori Religionis zelo, quam animi fortitudine impletet. His auditis Pontifex, deprædicata Ducis voluntate ceterorum quoque Legatorum mentem exploravit, sed respon-

*Gobelin.
Comment.
Pii II. l. 12.
& passim in
ep. Æn. Sylv*

Sæcul. XV sponsum a pluribus accepit, venisse se
 A.C. 1463. duntaxat ad audienda ipsius Pontificis
 consilia, ut ea dein suis Dominis refer-
 rent. Veneti vero jam se bellum Maho-
 meti indixisse significabant, & non ita
 pridem partem Peloponesi Turcis eripuif-
 se, seque in nulla re Pontifici defuturos
 ajebant.

§. LXXV.

*Florentini Venetorum fidem Pontifici
 suspectam reddere tentant.*

Florentini, quibus suspecta erant omnia,
 quæ Venetorum æstimationem atque
 potentiam augere videbantur, clam Pon-
 tifici persuadere nituntur, ut sineret
 Venetos solos cum Turcis, uti coepe-
 rant, agere; hac enim via inquiebant,
 Italiam tam a Turcis, quam a Venetis,
 qui ibidem dominatum, ac supremum
 imperium pro suo arbitrio exercere
 tentant, quietam fore, eoquod ipsi, cum
 ejusmodi bellum sat diuturnum foret, fa-
 cile sese mutuis cladibus consumpturi es-
 sent. Ast hoc consilium summe detesta-
 batur Pius Pontifex, ac prolixo sermone
 demonstrabat, illud non modo inane, sed
 ipsis etiam Florentinis maxime pernicio-
 sum fore, solosque Venetos Turcis reprimendis
 haud pares esse, quin imo, ad-
 debat Pontifex, nullo ferme negotio a
 Turcis

Turcis opprimi poterunt, non sine gravi Christianæ Reipublicæ dispendio; non enim Venetorum potentia frangi potest, quin simul tota Italia communi cum eis ruina pereat. Unde longe fatius est, quod Veneti, cum Ecclesiæ filii sint, Victores evadant, quam si Turcæ jurati Christiani nominis hostes vincant, præcipue cum Veneti, quamvis Mahometis exercitum penitus delerent, nihilominus necdum Italiam subigere possent, eoquod multis adhuc modis ejusmodi molimina impediri valerent. Florentini hisce rationum momentis expugnati, pari cum ceteris studio sua quoque auxilia conferre, ac pro proximo in Turcas bello necessarias suppeditare expensas polliciti sunt.

§. LXXVI.

*Consultatio secreta de mediis
aggregendi bellum.*

Post hæc convocatis ad secretum Senatuum Cardinalibus, actum de mediis, quibus belli consilia ad optatum exitum deduci possent. Ibidem summus Pontifex exposuit, quod jam a primis Pontificatus sui auspiciis maximo flagraret desiderio, ut Religionem contra Turcas defendere valeret. His præmissis inquietabat, ferme omnia, que hucusque obstant,

Sæcul. XV.

A. C. 1462

Sæcul. XV. bant, remota videntur: Galli enim e
A.C. 1463. Sicilia pulsi, & Malatesta feliciter profligatus est. Hanc ob rem certum mihi est & deliberatum, omnia Ecclesiæ bona impendere, ut classis validissima instruatur, quam & ipse conscendere paratus sum, & quamvis morbis pressus, atque Senecta jamjam ætate sim, nihilominus in Græciam & Asiam navigabo: nullum enim efficacius medium mihi præsto est, quo Christianos Principes ad æquale fidei studium stimulare valeam; forte enim cum viderint, quod Vicarius Christi, eorum Pater, senio gravis, atque infirmitatibus fractus nihilominus ad bellum procedat, ipsi pudore suffusi, domi manere erubescunt; demum subjunct Pontifex: persuasum mihi est, quod non solus, ac unicus expeditionem in Turcas facturum sim; Venetorum enim classis me comitabitur; spes quoque me tenet, adfuturos alios quoque Italiæ Principes, & Burgundiæ Ducem exemplo suo attracturum Occidentis Monarchas; ipse etiam ad Septentrionales Principes me convertam, atque Hungaros & Sarmatas ad iter aggrediendum stimulabo: in Græcia abs dubio Christiani Turcarum jugum excutient, atque ad summi Pontificis vexilla accurrent. Gaudebunt Albanenses, Epirotæ, & Servii, quod tandem illis optata libertatis dies illucescat,

cescat, nec partibus suis deerunt in Asia Sæcul. XV.
 Caramaniæ Princeps, ceterique Otho- A.C. 1463.
 manicæ potentiaë hostes.

§. LXXVII.

*Legati nomine suorum Principum
 auxilia polliciti.*

Cum hæc & plura sat prolixo sermone perorasset Pontifex, sententias Cardinalium percunctatus, neminem invenit, qui non illico expeditionem sacram commendaret, hancque in rem cuncta bona simul & vitam offerret; solus obstiterat Atrebatensis Cardinalis, qui aliunde summo Pontifici parum propensus erat. Ceterum Italorum Principum Legati, accepto a Dominis suis mandato spondent, se Decretum Mantuanum de decimis, vigesimis, ac trigesimis adimplenturos. Genuenses vero non minus ac Sabaudiaë Dux, licet rogati essent, nullum Romam miserunt, qui in hoc Patrum Senatu auxilium polliceretur. Florentini nil nisi speciosa verba dederunt, ac Senenses decem tantum millia aureorum obtulerunt. Mediolanensium Dux excusationibus longe quæsitis se expedire Nebius l. 8.
 nitebatur. Cum igitur Pontifex Genuen- Foliet l. 11.
 sium Legatorum absentiam intelligeret, ad Papiens.
 eos Fabianum Jurisconsultum misit, qui epist. 33.
 hortaretur, ut Majorum suorum exempla Æn. Sylv.
epist. 392.
 seque-

Secul. XV. sequerentur, ac sui erga Religionem studii
A.C 1463. ac fervoris specimina ederent. Hi vero
 responderunt, se a Majorum pietate haud
 unquam degeneraturos, ac propterea
 duodecim ex primariis urbis civibus jam-
 jam elegisse, qui octo vel decem navium
 classem instruerent; velle tamen prius
 edoceri, sub quibus conditionibus expe-
 ditionem suscipere deberent, ac quæ de-
 nique commoda eorum Respublica ex
 hujus belli victoriis esset reportatura;
 quid vero ad hæc Pontifex reposuerit,
 ex literis Cardinalis Papiensis intelli-
 gimus. Ceterum Dux etiam Mediolanen-
 sis, quem Papa ferventius excitaverat,
 tot difficultates allegabat, ut hanc expe-
 ditionem ipsi minus probari sat luculenter
 appareret. Nihilominus, ne communi
 Christianæ Reipublicæ salutis, ac æquis-
 simo Pontificis desiderio deesse videretur,
 missurum se dixit Ludovicum Filium su-
 um cum equestribus copiis, quæ sancti-
 tatis suæ latus stipaturæ essent.

§. LXXVIII.

*Decretum Pontificis de bello susci-
piendo contra Turcas.*

*Æn. Sylv.
epist. 412.*

Cuncta hæc obstacula nihil morabantur
 fervens summi Pontificis studium,
 sed in adjutorio confusus Altissimi, ad vi-
 gesimam tertiam Octobris diem currentis
 anni

anni publicum convocavit Patrum Sena-
 tum, atque ex communi suorum Cardi-
 naliū consensu decretum edidit, illud-
 que ad universos Antistites, Principes,
 & populos Christianos transmissit, simul-
 que belli contra Turcas suscipiendi neces-
 sitatem exposuit, ut tandem Ecclesiæ
 navicula ab imminente naufragio eriperetur.
 Postmodum declarat, se victoriæ
 spem in potenti Dei auxilio collocare,
 ac fiducia plenum die decima quinta Ju-
 nii anni sequentis profecturum. Postre-
 mo autem omnibus, qui adeo salutarem
 expeditionem impedire attentarent, di-
 vinam iram, ac ultionem intentat. Præ-
 terea speciales dedit Epistolas ad Vene-
 tum necnon ad Burgundum Duces;
 hunc enim certo Venetias venturum spe-
 rabat; Venetum vero his verbis adhor-
 tabatur: *Res tuas ita disponito, ut nobis
 mare ingredientibus præsto adsis apud An-
 conam, te nobis conjunge, nec laborem recu-
 sa, neque te senem dixeris, tanquam propter
 ætatem debeas excusari. Philippus quoque
 Burgundiæ Dux senex est, & nos etiam se-
 nectus invasit, annos septuaginta & am-
 plius (*) natos, cura, ut venias, tres eri-*
 mus

(*) Epistola habet duos de sexaginta, ac id-
 eo corrigendus est Continuator, qui ipse
Hist. Eccles. Tom. XXIX. §. CIV.

Sæcul. XV. A.C. 1463. *mus in bello senes, in Trinitate Deus gaudet, trinitatem nostram cœlestis Trinitas adjuvabit, & ante oculos nostros conteret hostes. Nos senes consiliis bello præerimus; juvenes tamen brachia exercebunt, & pugnam conferent, & hostem configent. Verum sub idem tempus aliud delatum est nuntium, quo non nihil summi Pontificis consilia retardari credebantur; percrebuit enim rumor, quod Veneti a Turcis prope Corinthum & Mitylenen cæsi fuissent, nuntiatumque, quod Mahometis copiæ Isthmum, quem Veneti haud ita pridem ceperant, denuo in suam redegissent potestatem. Verum nec his Pontifex a cæpto consilio se absterri passus est.*

§. LXXIX.

Diffidia Papam inter & Franciæ Regem.

Ceterum nova Papam inter & Galliæ Regem supervenere diffidia. Hic enim Pontifici exprobrabat, quod ex regio sanguine natis infensum se ostenderet, & pacem non minus, ac inducias recusaret. Quinimo eundem etiam arguit Rex, quod Ecclesiam Moguntinam diris calamita-

§. CIV. hunc Pontificem necdum emenso septuagesimo ætatis anno mortuum refert,

mitatibus pressisset, Sigismundum Austriae Ducem continuo edictis suis turbaret, Regemque Bohemiae, quaesito haereticis obtentu vexaret, denique, nemini quietam ac tranquillam vitam indulgeret. Postea nimis acerbe subjungit, melius facturum Pontificem, si paci Christianorum Principum primo studeret, demum vero arma in Turcas verteret. Praeterea Rex tria publicavit edicta, Curiae Romanae haud parum perniciofa; primo enim omnium beneficiorum vacantium dispositionem sibi arrogat, usque dum novi Episcopi fidelitatis sacramento sese Regi obstrinxissent, simulque se judicem constituit omnium litium, si quas in recipiendis eorundem beneficiorum redditibus oriri contingeret: Alterum erat Edictum, quo sanxit, Praesides Parlamenti, ac Consiliarios in beneficiorum nominationibus iisdem gaudere privilegiis, quibus Apostolica Sedes Parisiensem Academiam donasset; haec hodie Indulta appellari solent. Tertio denique decreto rursus sibi iudicium super possessorio cujuscunque beneficii adjudicat. Hanc Regis agendi rationem Gobelinus acriter reprehendit.

Saecul. XV.
A.C. 1463.

Gobelin.
Comment.
Pii II. lib. 12.

Pontifex haud quaquam Regi ad cunctas hasce criminationes respondit, sed

G 2

duos

Secul. XV
A.C. 1463.

duos Legatos, alterum suo, alterum sacri Collegij nomine in Gallias misit, ac utrumque plene instruxit, qua ratione ejus innocentiam vindicarent, Regisque animum placarent; sollicitè enim Papa Regem sibi devinctum conservare conabatur; sperabat enim fore, ut & ipse belli Turcici consilia approbaret, datisque supplicis tanquam Rex Christianissimus sacram militiam promoturus esset. Dedit præterea Legatis negotium, ut quinque vel sex annorum inducias in Regno Siciliae Regi offerrent, dummodo is contra Mahometem arma sumere vellet; ignoratur tamen, quid tandem hi Legati a Rege impetrarint; id unice in Historicis deprehendimus, quod Rex nonnulla alia promulgarit edicta contra gratias, ut vocant expectativas, necnon contra eos, qui a beneficiorum possessoribus spolia exigunt; assiduis enim exactiõibus suis Curia Romana itentidem querendi materiam subministrabat, prout aëta publica tam in Galliis, Germania, Anglia, Hispania, quam in aliis Regnis (*) testantur.

§. LXXX.

(*) Hæc Continuator ex Spondano ad hunc annum §. 4. de verbo ad verbum descripsit; ob quas causas vero Pius II. ejusmodi exactiões fecerit, notum erat omnibus: neminem dare quidquam cogebat, cur ergo conquesti sunt, qui nihil conferre statuerunt?

§. LXXX.

Sæcul. XV.
A.C. 1463.

Galliarum Rex inter Castellæ & Navarræ Reges litis arbiter.

Cum rei controversæ iudicium inter Castellæ Regem, & Navarræ Principem pariter natione Arragonensem Ludovici XI. Galliarum Regis arbitrio relicta esset, ipse Bayonnam petens sententia pronuntiata decidit, quod Castellæ Rex omnes copias ex Catalonia, ceterisque urbibus, quas in Navarræ Regno occupaverat, abduceret, excepta tamen Estella civitate, quæ Castellano Regi cederetur. Neutri contendentium parti placuit hæc Regis sententia, quamvis Navarræ Regi multum esset proficua, eoquod Catalani contra eum seditionem movissent, proin ne a Castellæ Rege opprimeretur, merito timere debuisset. Re nihilominus sic decisa, Galliarum Rex cum Henrico Castellæ Rege colloquium habuit, atque ad Urtubiam, quod castellum est citra fluvium Vidassum seu Vidassonam situm, convenit. Intererat quoque Joanna Arragonia, quæ de concordia legibus Bayonnæ sanctis edoceri postulabat. Verum vix uno, alterove colloquio inter eos habito conventus solvebatur, tam Gallis, quam Hispanis cum stomacho inde recedentibus. Hi enim

*Marian. hist.
Hisp. l. 23.
cap. 5.*

Sæcul. XV. sibilis, atque cachinis explodebant exter-
 A.C. 1463. nam Ludovici Regis formam, vestemque
 vilem, ne dicam, stolidam; ex rudi enim
 panno perbreve, arctumque habitum
 indutus erat, ejusque caput pileus sat
 detritus tegebat, cui etiam quædam ima-
 go plumbea Beatæ Virginis affuta erat.
 Gallis econtra ingratus erat arroganti-
 or Henrici indoles, atque genium, necnon
 immodicus Comitis de Bletisa ipsius Ami-
 ci fastus, cujus tamen superbia non adeo
 immoderata fuerat, quo minus Regiæ Ma-
 jestati debitos honores deferret, atque ad
 secundum lapidem intra Franciæ fines
 Ludovico adventanti in occursum proce-
 deret, indecorum esse ratus, si cum Rege
 quodam de honoris prærogativa contro-
 verteret.

§. LXXXI.

*Oppida Picardiæ Duci Burgundiæ
 data a Rege recuperata.*

Rex Galliarum ab hoc itinere redux,
 ad Picardiæ urbes, quæ per Atre-
 batensem pacem Burgundiæ Duci cede-
 bantur, recuperandas animum adjecit.
 Sancitum erat vigesimo hujus tractatus
 articulo, quod Rex vel ejus Successores
 pretio quadringentorum millium aureo-
 rum redimere valeant oppida Picardiæ
 ad Somonam fluvium sita, quæ erant fa-
 num

num S. Quintini, Corbeja, Ambianum, ^{Sæcul. XV.}
 Abbavilla, Durlendum, oppidum S. Ri- ^{A C. 1463.}
 charii, Crepicordium, Arensium, Mori-
 tania, aliæque urbes unacum annexis ea-
 rum fundis ac juribus. Nil amplius rem-
 morari videbatur, quam Burgundiæ Du-
 cis consensus. Ergo hujus animum ad
 Regis vota inclinaturi mittuntur Nobiles
 de Croy, Viri rerum agendarum dexte-
 ritate celebres, qui insuper gratia atque
 auctoritate apud Burgundum plurimum
 valebant. Hi tanto rationum pondere
 utilitatem, hujusque tractatus æquitatem
 Duci exponebant, ut ipse eorum postula-
 tis annuere nullatenus hæsitaret. Igitur
 Rex ferrum, dum calet, cadendum ra-
 tus, negotium maturare festinat; vere-
 batur enim, ne vel Dux consensum revo-
 cet, vel Carolesii Comes Filius ejus pro-
 misso Patris adversetur. Quapropter
 Rex utrique obviaturus periculo, ipsum
 Ducem, qui Hedini agebat, adiit, & dum
 interea Burgundi præsidia ex urbibus
 deducuntur, conventam pecuniarum sum-
 mam Duci quantocius numerari jussit.
 Nec intempestiva fuit hæc Regis solertia;
 quippe Carolesius præcocem Patris sui
 consensum tam indigno tulit animo, ut
 ille, nisi a Rege præventus fuisset, cer-
 tius totum evertisset negotium.

Sæcul. XV.

A.C. 1463.

§. LXXXII.

*Ludovicus XI. Flandriam lustrat, &
Sabaudia Ducis Filium carceri
mancipat.*

Ludovicus XI. priusquam Lutetiam Parisiorum præsentia sua honoraret, Belgium perlustrare aggreditur. Igitur primo Atrebatum & Tornacum percurrit, inde Insulas venit, eumque Burgundia Dux officiose ibidem invisit. Verum Carolesii Comes Filius ejus, qui tum in Hollandia morabatur, Patrem suum Insulas usque comitari renuit, quamvis de Regis adventu certior factus esset; voluit enim neglecto hoc obsequii genere tam Ludovico, quam suo Patri palam facere, quam moleste ferret ea, quæ nuper adversus eum gesta fuissent. Postquam vero Rex inde ad oppidum S. Clodoaldi haud procul Lutetia dissitum venerat, eum Sabaudia Dux excepit; Is Regis adventum anxie præstolabatur, ut adversus Philippum filium suum secundo genitum de ejus contumacia conqueri posset; Hic enim clandestinis consiliis, & Nobilium conspiratione Patris sui ditiones usurpare moliebatur, graviter violato Amadaei fratris sui natu majoris jure. Igitur Ludovicus Philippum ad se venire jubet; comparet ille, securitatis pro-

promissæ literis confusus; nihilominus ta-
 men Regis jussa comprehenditur, & Lo-
 chiam abducitur, ubi solido biennio ca-
 ptivus eo fine detinebatur, ut interea
 Pater ejus amplum restaurandæ auctori-
 tatis suæ spatium nancisceretur, & Ama-
 dæum primogenitum Filium suum in Suc-
 cessionis jure firmare posset.

§. LXXXIII.

Origo fœderis boni publici.

Interim novis semper incrementis Re-
 gem inter & Carolesium servebant dis-
 sidiorum studia. Hic non solum urbes
 redditas ægre ferebat, sed etiam de spe-
 ciali querebatur favore, quo Regia sua
 Majestas Nobiles de Croy, utut capita-
 les Carolesii inimicos cumulaverat. Præ-
 terea indignabatur, quod Rex violatis
 Atrebatensis concordiaë pactis ex sale
 vectigal in Burgundia exigeret, ac Stam-
 pæ Comitem nullo non officii genere di-
 gnaretur. Hanc Regis gratiam Carolesi-
 us in sui ipsius injuriam redundare existi-
 mabat, eoquod Stampensis accusaretur,
 quod tam illum, quam Burgundiaë Du-
 cem Patrem ejus veneno necare molitus
 esset. His querelarum momentis conci-
 tatus Carolesius, haud invite nomen de-
 dit conspirationi, quam Regni Proceres
 in Regem adornabant. Vulgo illa dice-
 batur

Sæcul. XV.
A.C. 1463.

batur *Liga boni publici*, atque ad eam prima Rex ipse jecit semina: Ludovicus enim ante omnia potentiam Principum frangere, demum vero Burgundiæ ac Britanniae Duces suo penitus dominio subjicere statuebat, hancque in rem præprimis Ursinum Cancellarium sua dignitate exuit, Chabannium Damartini Comitem carceri, quem *Bastillam* vocant, mancipari jussit, postea vero Normanniæ Senescallum, & Petrum Brezæum officii spoliavit, Aquitanniæ Præfecturam Borbonio Duci ademit, & Joannem Calabriæ Ducem omni prorsus auxilio destituit. Hac agendi ratione Ludovicus non paucorum invidiam sibi accersivit.

§. LXXXIV.

Dux Britanniae a Rege vexatus.

Præterea Galliarum Rex præprimis Britanniae Duci varias molestias creare studebat, hancque in rem ad eum misit Morvillerium Cancellarium suum. Hic aliunde Vir ad quævis audenda proclivis necnon ferocia, atque arrogantia nemini secundus, Regis nomine Duci inhibuit, ne in posterum in publicis diplomatibus se *Dei gratia Ducem Britannicæ* nominaret, nec monetam cudere, aut in Ducatu suo tributa cogere præsumeret. Dux inopinato Regis mandato, ac improvise hac

hac oppressione conterritus, nil reliquum Sæcul. XV.
A.C. 1463.
habebat, quam ut ad speciem se omnibus
jussis obtemperaturum polliceretur, ea
tamen lege, ut sibi Procerum suorum co-
mitia agendi commodum indulgeretur
temporis spatium. Id etiam Ducis pre-
cibus datum est. Verum ille his indu-
ciis opportune usus, missis probatæ fidei
Viris Carolesium Comitem, Borbonii
Ducem, Comitem Armeniacum, cete-
rosque *Ligæ* socios adhortabatur, ut ru-
pta omni mora arma sumerent. Ut ve-
ro seditionis hujus nuntium ad foedera-
tos tutius deferretur, emissarii alienis Re-
ligiosorum Mendicantium, præcipue Fran-
ciscanorum, atque Dominicanorum vesti-
bus induti expediebantur. Dux quoque
Borbonius, atque Carolesius Nobiles
Flandros, Burgundiones, ac Borbonios
secreto admonebant, ut ipsi, cum interim
necessaria pararentur, mox ac vocati es-
sent, conscensis equis advolarent. Tam
religiosos agebatur silentio, ut ipse Bur-
gundiæ Dux Carolesii Comitis Filii sui
consilia nequidem suboleret; hic enim
non nisi subobscuris verbis Patrem suum
admonebat, ut cautus, providusque es-
set; res enim agitur, inquiebat ipse, cum
tali Rege, cui solemne est, ditionem ali-
quam ex improviseo invadere, dum aliam
aggressurus timetur.

sæcul. XV.
A. C. 1463.

§. LXXXV.

Bellum Regis Lusitanicæ in Africa.

Cum interea Galli Principes adversus Ludovicum XI. conspirationis consilia maturarent, Alphonsus Lusitanicæ Rex, imperii sui fines subactis Barbaricæ urbibus extendere meditatur. Ergo plenis velis in Africam procurrit, atque ad Septam urbem classem suam appullt. Comitabatur illum Ferdinandus ejus frater fortis, ac intrepidi animi Princeps, ex cujus tamen præfestino vincendi ardore adversa hujus belli principia fuere. Ferdinandus enim victoriæ cursum a quodam glorioso facinore auspicari cupidus, Tingim urbem armis suis subjicere tentat, remque haud exigui laboris aggreditur, Mauris ferme innumeris ad auxilium urbis convolantibus, quorum tamen impetus Ferdinandus diu, totisque viribus retundere conabatur, tandem vero pedem referre coactus est, Mauris fugientem acriter insequentibus. Alphonsus comperto fratris sui discrimine, opem ferre festinat, sed ipse periculi contemptu incautius, longiusque abreptus, prope modum ab hostibus captus esset, nisi Eduardus de Menezes, Vir ad quævis pericula intrepidus, ac nonnisi præclaris facinoribus assuetus, totam Maurorum
fero-

ferociam immoto animo sustinisset, ac Regis sui libertatem vitæ suæ dispendio redimere gloriosum esse reputasset: unde quamvis corpore saucius, nihilo tamen animo fractus strenue dimicabat; cum vero, equo suo ex vulneribus subtus se cadente, alium sibi a Marsanto Comite oblatum conscendere pararet, & exhaustæ membrorum vires corpus vulneribus affectum haud ultra sustinere valerent, in terram cecidit, quem Mauri uno impetu cingunt, ac undique ensibus perforatum trucidant; Alphonfus Viri obitum ingenti luctu deplorabat, ut autem præclara illius merita etiam post fata remuneraretur, Henricum de Menezes defuncti Filium Valentia Comitem creavit, ac in eum Septæ Urbis Præfecturam transfudit.

Sæcul. XV.
A. C. 1463.

§. LXXXVI.

Res Neapolitani Regni.

Tandem Calabriae Dux recuperandi Neapolis Regni spe penitus excidit. Ferdinandus enim Suessæ Ducem ad suas quoque partes traxit, ac ut initum foedus arctiore firmaret vinculo, propriam suam Filiam Beatricem Joanni Baptistæ Ducis hujus Filio in conjugem tradidit. Equidem Princeps Tarentinus post victoriam Trojanam in Ferdinandi gratiam

Gobelin.
Comm. Pii 12
lib. 12.
Pontan. 1. 6.

Secul. XV. gratiam redibat, Rex tamen de obsequiis
A. C. 1463. hujus sinceritate dubius, semper circum-
 specte cum eo egit; nunciatum enim ei
 erat, quod Tarentinus Calabriae Duci,
 qui in Insulam Ænariam profugus a Patre
 suo Renato Andegavensi opem præstola-
 batur, clam suppetias promississet. Tan-
 dem vero die decima quinta Novem-
 bris Tarentinus vivis eripitur, ejusque
 obitu Ferdinandus potenti hoste libera-
 tur. Referunt Scriptorum nonnulli, hunc
 Principem a quibusdam suis familiari-
 bus ex insidiis fuisse trucidatum in arce
 Atilia, quam Rex Neapolis olim occupa-
 verat, ibidemque plusquam duodecim
 aureorum millia invenerat, opportuno ad-
 modum tempore; ex his enim pecu-
 niis stipendia militibus numerari pote-
 rant; postea idem Rex etiam Tarentum,
 & Barensem ac Hydruntinam Provin-
 cias, nemine obsistente, suo subjecit im-
 perio. Tam amplis Tarentini Principis
 opibus, quæ decies centena aureorum
 millia superaverant, ad tantum felicitatis
 fastigium res Ferdinandi excreverant, ut
 jam ei totum Neapolis Regnum pareret,
 præter quædam oppida, solamque Ovi
 arcem, quam tandem expulso, quem
 Joannes Calabriae Dux imposuerat, præ-
 sidiario milite, sibi quoque vendicaverat.

§. LXXXVII.

Finis Commentarii Pii II.

Sæcul. XV.

A. C. 1463.

Usque ad hunc annum procurrunt Pii II. *Possevin. in commentarii. Hi sub nomine Go-* *appar. Sacr.*
 belini Personæ, qui eidem Pontifici a se- *Voss. 1.2. de*
 cretis erat, posteris relicti fuere, & pri- *hiß. latin.*
 mum Romæ Anno millesimo quingente- *c. 10. & seq.*
 simo octogesimo quarto cura & opera
 Francisci Piccolominæi Senensis Archie-
 piscopi publicam lucem aspexerunt, de-
 mum Anno millesimo sexcentesimo de-
 cimo quarto literis Francofordiensibus
 recusæ prodierunt.

§. LXXXVIII.

Rex & Regina Angliæ in Scotia.

Postquam Eduardus, Eboracensis Fami- *Polyd. Vir-*
 liæ caput, Henricum VI. Regem in præ- *gil. hist.*
 lio Fariburgensi devicerat, & Angliæ co- *Angl. 1. 24.*
 corona potitus erat, Lancastriensium factio
 tam præcipiti lapsu dejecta est, ut eam
 restaurare nemo auderet. Interea Rex
 unacum Regina in Scotia fugitivus hæ-
 rebat; Jacobus vero II. illius regni Rex fer- *Roxburg.*
 vente posteriorum annorum tumultu Te-
 viotiam obsedit, adverso tamen successu;
 quippe globus æneus, excussus e tor-
 mento grandiore die tertia Augusti Ju-
 venem hunc Regem nonnisi viginti no-
 vem annos natum in frustra discerpserat.

Eo

Sæcul. XV.
A.C. 1463.

Eo defuncto Maria de Geldria ejusdem conjux obsidionem profecuta, urbem occupavit. Hæc infelicem hanc Regnam, ejusque Maritum Henricum VI. maximo, quo potuit, honore excepit, quamvis Burgundiæ Dux, cujus illa Neptis erat, Renato Andegavensi Reginae Anglicæ Patri, insensus esset. Nec his contenta, etiam affinitatis vinculo illis arctius conjungi non dubitavit; propriam enim suam Filiam Valliæ Principi conubio tradidit. Quare Henricus accepti beneficii memor Bircovicum præfate Scotorum Reginae restituit. Interim Sommerfeti Dux, qui post nuperam cladem in Franciam se receperat, Ludovici XI. Regis jussu comprehensus, nonnisi exilio a regni finibus libertatem suam recuperavit, postmodum tamen Ducis Burgundiæ beneficio Brugam se recepit.

§. LXXXIX.

Regina Angliæ Franciam petit, suppetias imploratura.

Monstrelet
vol. 3. fol. 95.

Tandem Regina Angliæ, relicta Scotia, in Gallias proficiscitur, ut a Rege suppetias obtineret; Verum vix non omnem spem succiderant iniquissima Gallorum tempora; quippe Siciliae Rex Reginae Parens regno suo pulsus huc illucque oberrabat, & Francia post recuperatam

ratam Aquitanniam adeo viribus exhau- Sæcul. XV.
A. C. 1463.
sta erat, ut nequidem Caletum hostibus
eripere, minus vero exteris opem ferre
posset, quamvis domesticæ Anglorum
turbæ opportunam Gallis belli occasio-
nem suppeditare viderentur. Aliunde
Ludovicus XI, cum Carolesium Comitem
Patris sui Burgundiæ Ducis successorem
penitus opprimere statuisset, ipse rem
adeo difficilem executurus, omnem ar-
morum suorum vim impendere cogeba-
tur. Quare Regina ægre admodum quin-
gentorum circiter bellatorum subsidium
obtinuit.

§. XC.

*Eadem in Scotiam redux; cum exer-
citu suo cæsa.*

Regina his copiis stipata sub Duce Pe-
tro Brezæo magno Normanniæ Se-
nescallo navem conscendit, atque in Sco-
tiam factis velis navigavit. Tandem Ber-
covicum, ubi Eduardum Filium suum reli-
querat, appulsa, militum suorum delectum
habuit, & exiguum instruxit exercitum, de-
mum vero unacum Marito suo Northum-
briæ Comitatum ingressa primo impetu
castrum Bamburgum expugnavit, inde ve-
ro Dunhelmum usque processit, ubi il-
lius copię plurimum numero creverunt.
Verum Eduardus, ut ulteriores victoriæ
Hist. Eccles. Tom. XXIX, H pro-

Sæcul. XV. progressus sua solertia præveniret, Nevil-
A.C. 1463. lensem Marchionem in occursum mittit;
 Is haud procul ab urbe Eboracensi adve-
 niens, Hungerfordium, & Rosum Baro-
 nes aggreditur, fugatque, demum Baro-
 nis Persii copias tanta clade afficit, ut
 earum Dux e vulneribus suis paulopost
 decederet.

Nevillensis prospero hoc successu a-
 nimatus, nequidem Eduardi adventum
 præstolabatur, sed in victoriæ gloria con-
 sortem habere renuens, solus bello finem
 imponere statuit; quocirca Henricum,
 qui Alexoduni castra metabatur, adoritur,
 atque expugnatis munimentis ipsam Re-
 ginam, ejusque Maritum, unacum Pem-
 brokio, & Northumbriæ Comite in fugam
 agit, ceteris qua prælio captis, qua mi-
 sere trucidatis. Victoribus cesserunt ca-
 pti Sommerfetus Dux, non ita pridem ex
 Flandria redux, Barones Rosus, Molinus,
 & Hungerfordius, quem sicut & plures
 alios Eduardus paulopost superveniens,
 capite plecti jussit. Cetera quoque oppi-
 da, quæ adhucdum Henrico parebant,
 ad deditionem compulit, excepto Al-
 nevico castro, quod Galli dudum singu-
 lari fortitudinis specimine propugnabant,
 sed tandem cedere cogebantur. Sic de-
 nique omnia Eduardi imperium subiere.

§. XCI.

Sæcul. XV.
A.C. 1463.

Regina denuo in Franciam reversa.

Henicus accepta hac clade denuo in Scotiam rediit; Regina vero ejus conjux, superatis innumeris ferme periculis sola cum Filio suo per nemorum opaca, & impervias Regiones tandem maris oram attigit, ubi a nemine cognita unacum Juvene Principe navem, quam casu offenderat, conscendit, atque in Gallias trajecit, iteratas petitura suppetias; verum nihilo benigniores, quam antea experta est rerum vicissitudines; unde novis in horas emergentibus obstaculis, nonnisi viginti librarum millia mutua, ac quidem sub durissimis conditionibus sibi numeranda a Galliarum Rege impetravit.

§. XCII.

Isidori Cardinalis Patriarchæ Constantinopolitani obitus.

Hoc anno die octava Martii Isidorus Cardinalis Patriarcha Constantinopolitanus, & Sacri Collegii Decanus supremum diem obiit. Is Thessalonicæ, seu juxta alios, in ipsa Constantinopolitana urbe natale solum accepit. Primo S. Basilii institutum profitebatur, postea Russiæ Episcopus renuntiatus, demum
H 2 Floren-

*Gobelin.
Comment.
Pii II. lib. II.
§ 12.*

Secul. XV.
A.C. 1463

Florentinæ Synodo assistit, ubi Anno millesimo quadringentesimo trigesimo nono Cardinalium numero ab Eugenio IV. Papa adlectus est. Non multo post tempore in Russiam iter relegit, ut ibidem Ecclesiæ latinæ sacra, ritumque stabiliret, cum vero populus schismate infectus in eum insurgeret, in carcerem coniectus est, a quo tamen aliquo post tempore liberatus Romam reversus est, sed paulo post a Nicolao V. Pontifice Constantinopolim decernebatur, ibidemque præsens erat, cum urbs Anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio a Turcis capta est; exstatque hodie epistola, quam Cardinalis hanc in rem scripserat. Nonnullorum Historicorum opinio fuit, Isidorum Cardinalitio habitu indutum in promiscua cæde a Turcis occisum fuisse, certius tamen est, quod simulata mancipii specie furentium manus evaserit, ac post plurima vitæ discrimina Romam, ut mox meminimus, redierit, ubi Patriarchæ Constantinopolitani titulo decoratus, post aliquot annos ex hac vita migravit, sepultusque est in Ecclesia S. Petri; Bessarion vero Cardinalis in ejus locum ad hanc Patriarchalem Sedem pro Latinis designatus fuit.

§. XCIII.

§. XCIII.

*Alexandri Olivæ Cardinalis
extrema.*Sæcul. XV.
A. C. 1463.

Isidori mortem paucis post mensibus ex-
cepit Alexander Oliva pariter Cardi-
nalis, & Ordinis S. Augustini Prior Ge-
neralis, patria Saffoferratensis, parenti-
bus exiguæ oppido fortunæ natus. Is
vix trium annorum puerulus casu deci-
dit in fontem, unde exanimis extractus,
& a Matre sua, ut fertur, ad templum
Beatissimæ Virginis Mariæ delatus re-
vixit, dein teneris adhuc annis inter Fra-
tres Augustinianos educatus, Arimini,
Bononiæ, ac Perusii sacratoribus disci-
plinis eruditus, primo Philosophiam in
eadem Perusina urbe, ac mox ibidem
Theologiam publice docuit. Demum in-
ter suos Provincialis renuntiatus, paulo
post quamquam invitatus, sui Ordinis Pro-
curator Generalis designabatur; quapro-
pter pro muneris sui ratione Romam per-
gere compulsus est, ubi eruditionis suæ
ac morum innocentiae digna retulit præ-
mia. Tam profunda eminuit humilitate,
ut inter nemora, ac saltus delitescens, vi-
tam ducere obscuram eligeret, nec ipse
Cardinalis Tarentinus Ordinis S. Augu-
stini Protector ab eo crebris literis ac mo-
nitis impetrare posset, ut ad publica redi-

*Bzov. in an-
nal. Eccles.
tom. 17 ad
ann 1463.
n. 34.**Corn. Cru-
sius in elog.
Viror. Au-
gust.**Ambros. Co-
riolan in
Chronic.
Augustin.*

Sæcul. XV. ret Gymnasia, quæ doctrinæ ejus luce
A.C. 1463. privari summopere dolebant. Ceterum
 cum Theologiæ scientia, ac facundiæ u-
 bertate longe præstantissimus esset, con-
 scripsit plurima opuscula eruditus vigiliis
 elaborata, necnon & sermones, quibus
 vitia, & corruptos ævi sui mores sacro
 fervore & ingenti eloquentiæ vi redar-
 guit. Eligebatur Anno millesimo qua-
 dringentesimo quinquagesimo nono su-
 premus Ordinis sui Magister, demum ve-
 ro a Pio II. Pontifice sacro, Purpurato-
 rum collegio Anno salutis millesimo qua-
 dringentesimo sexagesimo adscriptus, nec
 non postea Episcopali Camerinensi sede
 decoratus fuit, semperque præclara Ec-
 clesiæ Dei obsequia præstitit. Tandem
 vero Tybure, ubi tum Curia Romana a-
 gebat, die vigesima prima Augusti hoc
 anno obiit, ætatis suæ annum agens
 quinquagesimum quintum; Cadaver e-
 jus Romam ad D. Augustini delatum in
 marmoreo sepulchro conditum quiescit,
 ubi sepulchralis ejus inscriptio hodiedum
 legitur. Ingenii sui monumenta, quæ ad
 posteros transmisit, sunt sermones cen-
 tum de Christi ortu, de coena cum A-
 postolis facta, de peccato in Spiritum
 sanctum, aliæque plures orationes, ac
 discursus summa eloquentiæ laude con-
 scripti. Antonius Campanus defuncto
 oratione funebri parentavit, cujus non-
 nulla

nulla fragmenta in Additionibus ad Cia-
conium reperies, aliaque in Chronico Jo-
sephi Pamphili ex ordine FF. Augustinia-
norum habentur.

Sæcul. XV.
A.C. 1463.

§. XCIV.

*Prosperi Columnæ Cardinalis
obitus.*

Pariter Romanæ Ecclesiæ ereptus est
die vigesima quarta Maji inter Cardi-
nales hoc anno defunctos tertius Prosper
Columna. Is erat ex illustrissimis Pa-
rentibus natus, Laurentio Columna Al-
bæ Comite, magno Regni Neapolitani
Cubiculario, & Sueva Cajetana Jacobeli
Fundorum Comitis Filia. Anno mille-
simo quadringentesimo vigesimo sexto ad
purpuram evectus est, *miti vir erat inge-
nio, literarum eximius cultor, & quem ne-
mo potuisset non amare, nisi plus æquo Gi-
bellinarum partium studiosis adhæsisset.* Qua-
propter sibi Eugenii IV. indignationem
accerisvit, ne unquam cum eo in gratiam
rediret.

Ausberg
hist. Cardin.

Comm. Pii II

§. XCV.

Mors Blondi Flavii historici.

Die quarta proximi Mensis Junii cele-
bris Scriptor nomine Blondus Fla-
vius sui desiderium reliquit fatis functus.
Natus erat in Romandiola Flaminia An-

Gobelin.
Comm. Pii II
lib. II.
Paul. Jov.
Elog. cap. 14

Sæcul. XV. no Domini Incarnationis millesimo trecentesimo octogesimo octavo. Diu Eugenio IV. aliisque summis Pontificibus ab

*Trithem. &
Bellar. de
Script.
Eccles.
Mercurialib.
10. hist.
Palmer. in
chronic.
Spond. hoc
ann. n. 16.*

A. C. 1463. epistolis erat, magnumque inter eruditos nomen adeptus est ob præclaras suas lucubrationes, quæ ob solertiam, & integritatem longe celeberrimæ sunt, de cetero ejus stylus rudioris sæculi barbariem sapere videtur, utpote quæ primum illius ævo a literaria Republica exulare cæperat. Tres Decades de rebus in Imperio Occidentis gestis a quadringentesimo decimo usque ad Annum millesimum quadringentesimum quadragesimum conscripsit, quas Æneas Sylvius in epitomen contraxit, omnium literis & memoria celebratas. Plura adhuc alia ingenii sui monumenta ad illustrandam Italiæ historiam præclare concinnata posteris reliquit, inter quæ præcipua sunt tres libri, qui inscripti leguntur: *Roma instaurata*. Ibi urbis Romanæ statum, quo ejus ætate floruerat, exhibuit. Edidit etiam octo libros *de Italia illustrata*, quam, prout eo tempore visebatur, descripsit; præter tractatum *de origine & gestis Venetorum*, a quadringentesimo quinquagesimo usque ad annum millesimum ducentesimum nonagesimum primum, tandem aliud volumen, cui titulus: *Roma triumphans*, quod dividitur in tres libros, ubi cuncta, quæ regiminis normam antiquitus Ro-

mæ

mæ cultam concernunt, complectitur. Ex Leandro Alberto discimus, quod Blondus quinque filios, omnes liberalium artium cultores reliquerit. Videtur tamen, quod per annos fere septuaginta quinque juxta veterum Philosophorum præscripta vitam suam traduxerit, abjecta omni divitiarum sollicitudine. Fatis denique functus, in Capitolio prope facellum B. Virginis Mariæ terræ mandatus quiescit. Sigonius de eodem argumento scribens, cultiore quidem, magisque terço usus est sermone, sed tamen pluribus in locis liberius Blondum defloravit; Prodierunt ejus opera Basileæ Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo nono typis impressa.

Secul. XV.
A. C. 1463.

§. XCVI.

S. Didaci Ordinis S. Francisci obitus.

Ad diem duodecimam Novembris refertur beata mors cujusdam Religiosi ex ordine S. Francisci, nomine Didaci, qui a Sixto V. Anno Domini supra millesimum quadringentesimo octogesimo octavo Sanctorum fastis adscriptus est. Natale solum habuit oppidum S. Nicolai de Portu ditionis Hispalensis in Andalusia; quamvis parentes ipsi essent admodum pauperes, nihilominus pie educatus

Spond. annual. eccles. hoc anno n. 12

Bullar to. 2. Sixti V. Const. 82.

H 5 fuit;

Sæcul. XV. fuit; unde Regularis observantiæ, quæ tum
A.C. 1463. inter S. Francisci alumnos vigeat, amo-
 re captus, ad conventum de Arrizafa pro-
 pe Cordubam confugit, sacroque ha-
 bitu indui postulavit, cum autem voti
 damnaretur, non nisi fratribus laicis seu
 conversis adscribi voluit, non tam quia
 literis expers erat, quam maxime, ut
 humilitati suæ uberius satisfaceret. Mit-
 tebatur Forteventuram ad Insulas Cana-
 rias, ubi opportunam exercendi sui zeli
 occasionem nactus Idololatrias ad Chri-
 sti fidem perduxit. Inde vero Anno Sa-
 lutis millesimo quadragesimo qua-
 dragesimo nono in Hispaniam revocatus,
 Anno sequenti Romam contendit, ut
 ibidem magno Anni sancti thesauro, ac
 S. Bernardini Senensis, qui itidem Ordini
 sui Religiosus erat, Canonisationi in-
 teresset. Demum Roma redux ex An-
 dalusiæ Provincia ad Castellanam mis-
 sus, reliquos vitæ suæ dies in eminentis-
 simæ pietatis operibus complevit. Hu-
 jus sancti Viri historiam nobis Petrus Ga-
 lesinus descriptam reliquit.

§. XCVII.

S. Catharinæ Bononiensis extrema.

Baillet. Vit. Sanct. 9. *Mart. tom. I.* Eodem anno die nona Martii beato fine
 quievit Monialis quædam Ordinis
 S. Claræ, a nativitate suæ loco Catha-
 rina

rina Bononiensis cognominata; Hæc Sæcul. XV. A.C. 1463.
 primam lucem aspexit die octava Septembris Anno Dominicæ Incarnationis millesimo quadringentesimo decimo tertio; duodecimo vero ætatis suæ anno Margarithæ Principi, quæ Nicolai Estensis Marchionis Ferrariensis Filia erat, educanda traditur, ac Bononiæ Monasterio cujusdam Ordinis ibidem ad honorem Corporis Jesu Christi instituti præficitur, sed paulo post mundi, & Aulæ pompis valedicens, in coenobium Monialium S. Claræ se recepit, ubi etiam Anno supra millesimum quadringentesimo trigesimo secundo sese solemniter votorum sponcione arctius Christo Domino obstrinxit. Evocabant illam Bononienses, ut novo cuidam præesset monasterio, quod iidem in præfata civitate erigebant; Paruit illa, ac non sine ingenti animi sui solatio illius fabricam, antequam vivis eriperetur, absolutam conspexit. Nonnulla reliquit volumina tam Italiano, quam latino, cujus optime gnara erat, sermone conscripta. Eidem quoque adscribitur corona mysteriorum de Passione Domini nostri Jesu Christi, & alius quidam libellus de septem armis ad spirituale certamen necessariis. Præterea librum concinnavit de iis, quæ ex Christi Domini admonitu didicerat. Exstat hic libellus typis editus. Postquam vero

Sæcul. XV. vero testimonia præmissa de sanctitate
A.C. 1464. vitæ, ejusque miraculis rite approbata
 fuerant. Clemens VII. Pontifex Catharinam Beatarum Virginum Catalogo ad-
 scripsit, ac officium in anniversaria ejus-
 dem die celebrari concessit, quod post-
 modum in Breviario Pii V, & Sixti V.
 recognitum fuit. Anno autem millesimo
 quingentesimo nonagesimo secundo
 Clemens VIII. nomen ipsius in Martyro-
 logium Romanum referri jussit, denique
 Clemens XI. Anno millesimo septingen-
 tesimo duodecimo ritu solemniori eandem
 Sanctorum numero accensuit, ejusque
 vitam Antonius Flaminus conscriptam
 reliquit.

§. XCVIII.

*Pontificis apparatus ad bellum
Turcicum.*

*Papiens.
epist. 50.*

Interea Pius Pontifex indefesso labore
 ad maturandam expeditionem Turci-
 cam incubuit, præsentisque anni auspicia
 parandis ad bellum necessariis sacravit,
 eo studiosius rem urgens, quo firmiter
 quinta Junii die Anconam venire statuis-
 set. Verum ex immodica mentis sollici-
 tudine ferventique studio, quod corporis
 sui vires excedebat, febri correptus est,
 podagræ doloribus haud parum vim mor-
 bi augentibus; Cum autem malo indies
 ingra-

ingravescente Medici balnea in Senensi Sæcul. XV.
 Diœcesi sita præscriberent, Pontifex ho- A.C. 1464.
 rum consilio acquievit, & licet hyems
 necdum plene abiisset, nihilominus eo
 contendit, ut salutis suæ curam ha-
 beret.

§. XCIX.

*Promissa a Burgundiæ Duce
 revocata.*

Attamen exiguo admodum tempore Se-
 nis hærebat Pontifex, cum ingratum
 accipit nuntium, quod Burgundiæ Dux
 bello, quod adversus Turcas parabatur,
 ipse interesse renueret, quamvis id non
 modo per literas, sed & per suos Orato-
 res sæpius spondisset. Mutati consilii
 causas in Regem Franciæ coniecit, ac
 bellum sibi a Gallis impendere obtende-
 bat; nec id quidem temere suspicaba-
 tur; cum enim Ludovicus XI. Carolesium
 Comitem Burgundi Filium tanta indigna-
 tione insecutus esset, merito & sibi parem
 Regis furorẽ timere poterat. Fatendum
 igitur, quod in tali rerum statu inconsul-
 tum fuisset, si Burgundus relicta propria
 sua ditone, ad remotas terræ plagas ab-
 ire decrevisset.

*Æn. Sylv.
 epist. 382.*

§. C.

Secul. XV.
A.C. 1464.

§. C.

*Papa datis literis Ducem ad promissi
fidem adhortatus.*

Idem ibid.

Cum vero Pontifex paulo ante amplif-
simis Ducis hujus pollicitationibus
mirum in modum erectus esset, jam ejus-
dem inconstantia graviter affligebatur,
unde die vigesima quinta Martii datis ad
eum literis, ne pristina consilia abjiceret,
vehementer hortatur, ac in hunc ferme
modum perscribit: sacrum, piumque
opus est, quod deserere meditaris, consi-
dera, quam grave inde incommodum
Religioni accedat; tua enim absentia
prævalebunt Turcæ, & Christiani detri-
mentum patientur; ut igitur promissi
fidem exsolvas, moveat te Ecclesiæ ho-
num, nominis tui honor, & quod plus
ceteris est, nos iter nostrum, prosequitur
Papa, non retardabimus, ibimus, nec frau-
dabimus sua spe populum Christianum, ibi-
mus, ductore Domino, mare intrabimus, in
hostes navigabimus, pro defensione fidei totis
viribus nitentur. Non gravis cetas nos de-
tinebit, non impedita morbis arthesicis mem-
bra, non pericula maris, non mortis metus.
Nec tamen his movebatur Philippus;
cum enim sibi ob seditiosam filii sui Caro-
lesii Comitis indolem haud leve pericu-
lum immineret, & præcipue Ludovicum
Gallia-

Galliarum Regem sibi suspectum haberet, suam præsentiam domi oppido necessariam fore existimabat, quapropter a suo Ducatu abesse haud voluit, sed misit ad Pontificem duos filios nothos Stritonium & Balduinum unacum duobus armatorum millibus: nihilominus semetipsum anno insequenti, nisi urgentissimis impediretur causis, ad Pontificis castra profecturum pollicebatur.

§. CI.

Cuncta pro Basileensi Concilio scripta a Pio II. revocata.

Pontifex, priusquam Roma Senas abiret, Bullam promulgari iussit, in qua Basileensis Synodi acta olim a se conscripta revocavit. Præprimis affirmat, quod ea adhuc juvenis composuerit, illa ingenii maturitate destitutus, qua laudanda a vituperandis discernere potuisset; jam vero hac in re se errore deceptum fatetur, ac universitatis Colonien-
Labbe Col-
lect. Conc.
tom. XIII.
p. 1407.
 sis Doctores, quibus hanc revocationis Bullam inscripsit, obsecrat, ut ea, quæ de Basileensi Synodo exarraverat, tanquam erronea, & juvenilis animi parum pensata iudicio respuant, Æneam rejiciant, & Pium II. ejusque doctrinam sequantur. Sed quis non errat mortalis? inquit Pontifex, nos homines sumus, & ut homines erravi-

Sæcul. XV. A.C. 1464 erravimus, neque imus inficias, multa quæ
 diximus, scripsimus, egimus, damnari posse,
 seducti peccavimus, ut Paulus, & ignoranter
 persecuti sumus Ecclesiam Dei, & Romanam,
 primamque Sedem; cogimur Beatum Augustinum
 imitari, qui cum aliqua in suis voluminibus
 erronea inseruisset, retractationes edidit.
 Idem & nos faciemus: confitebimur ingenue
 ignorantias nostras, ne per ea, quæ scripsimus
 juvenes, error irrepat, qui possit in futurum
 Apostolicam Sanctam Sedem oppugnare. Nam si
 quem decuit unquam Romani, primique throni
 eminentiam, & gloriam defendere ac extollere,
 nos illi sumus, quos sine ullis meritis pius &
 misericors Deus sola dispensatione sua ad
 Jesu Christi Vicariatum evocavit. Quibus
 ex rebus dilectiones vestras hortamur, & in
 Domino commonemus, ne prioribus illis
 scriptis inhæreatis, aut fidem ullam præstetis,
 quæ supremam Apostolicæ Sedis auctoritatem
 quovis pacto elidunt, aut aliquid adstruunt,
 quod sacrosancta Romana non amplectitur
 Ecclesia Si quid ergo adversus
 hanc doctrinam inveneritis aut in dialogis,
 aut in epistolis nostris, aut in aliis opusculis
 nostris, respuite atque contemnite; sequimini,
 quæ nunc dicimus, & seni magis quam
 inveni credite, nec privatum hominem pluris
 facite, quam Pontificem. Æneam rejicite,
 Pium recipite. Illud gentile nomen
 parentes indidere nascenti, hoc
 Chri-

Christianum in Apostolatu suscepimus. Cum vero nonnulli Pontifici objectare possent, quod primum ad S. Petri Cathedram euectus, hanc de Ecclesia opinionem adoptasset, ac cum dignitate mutasset sententiam, ideo ut ad hæc responderet, paucis totam vitæ suæ, actionumque seriem describit, ac Concilii Basileensis integram concinnat historiam; postea refert, quod cum Dominico Capranica Anno millesimo quadringentesimo trigesimo primo Basileam contenderit, nos, inquit Papa ex patria iuvenes, non ex urbe illuc migraveramus, sed nova tum primum avis ex Senensi gymnasio evolaveramus, rudes & inexperti. Data est hæc Bulla Romæ die vigesima sexta Aprilis anno priore, & habetur integra in Collectione Conciliorum Patris Labbei, aliisque pluribus Auctoribus. ()*

Sæcul. XV.
A.C. 1464.

§. CII.

Papa Anconam venit, navem conscensurus.

Ceterum Papa Romam reversus paucis ibi diebus moratur, ut pro consilio

(*) *Exstat quoque in opere, cui titulus: Caroli VII. pragmatica Sanctio fol. Parisiis 1666. pag. 84r. necnon ad initium Operum Æneæ Sylvii.*

Secul. XV. lii sui executione iussa daret, ac necessaria disposeret, inde decima octava Junii die Anconam contendit. Eo præmiserat Hieronymum Archiepiscopum Crentensem unacum Priore Pisanorum militum Hospitalariorum, dato utrique negotio, ut naves conducerent, quibus Viri undique confluentes transvehi possent. Sequebatur paulo post Cardinalis S. Angeli Natione Hispanus Vir senio venerabilis, ac septuagenario major, fidei tamen ardore insignis, qui summum Pontificem hortatu suo ad exequendum sanctum propositum ardenti zelo stimulaverat. Hos parvis itineribus secutus est Pius Papa, & Lauretanam Domum accedens, votum, quod nuncupaverat, ibidem persolvit, demum vero Anconam ad medium fere Julii pervenit. Confluxerat illuc pene innumera hominum multitudo, & quidem omnium expectatione major: ast eorum potissimi sine nummis, sine comæatu adeo inermes ac inopes erant, ut nec per semestre, unde vivere possent, haberent, quare plures eorum arma vendere, ut in patriam regredi valerent, compulsi sunt. Papiensis Cardinalis Germanos, qui ex Wandalia & Saxoniam regionibus ad Pomeraniam Ducalem sitis advenerant, describens ait: eorum non pauci erant, qui toto itinere cibum emendicabant, hinc eos Itali ob inopiam irridebant; unde nonnulli

A.C. 1464.

Papiens.
Comment. l. I
Et epist. 34.

Papiens. ibid
Et epist. 41.
Crantz. 12.
in Wandal.
30. Et 12.
sex. 3.

nulli Venetias petierunt spe freti, quod Sæcul. XV.
 illico naves conscendere possent, alii vero A.C. 1464.
 Anconam pervenerunt: eo enim audie-
 rant venturum Pontificem, hic vero
 inutilem bello turmam ad suos remisit,
 postquam omnibus benedictionem Apo-
 stolicam, ac plenam poenarum condona-
 tionem indulerat.

§. CIII.

*Cuncta Anconæ parata pro
 discessu Pontificis.*

Cum interim Anconæ nuntiatum esset,
 quod Turcæ haud procul a Ragusa,
 castra posuissent, ac forte eam civitatem
 obsessuri essent, Pontifex, quamquam fe-
 bri admodum violenta agitaretur, nihilo-
 minus illico ipse cum classe sua accur-
 rere statuit spe concepta, si res succede-
 ret, Principes excitatum iri, ut & ipsi
 Papam sequerentur. Verum nuntiato
 hostium recessu Pontificis quoque iter dif-
 ferebatur. Hujus famæ lætitia haud
 parum augebatur ex adventu Veneti Du-
 cis, qui classe sua Anconam ingressus est.

§. CIV.

*Adversa Papæ valetudo, ejusque
 obitus.*

Ast ingravescente indies morbo, Ponti-
 fex, cum jamjam mortis suæ horam
 appre-

Sæcul. XV. appropinquare intelligeret, vocatis ad se
A.C. 1464. Cardinalibus, orationem ad duas horas
 protractam habuit, qua serio eos hortatus est, ut in seligendo successore solius meriti rationem haberent, non vero illis favere studerent, qui tanto munere indigni essent; præcipue vero eisdem commendavit, ut sacrae adversus Turcas expeditionis consilia urgerent. Denique petita ab omnibus offensarum venia, concessisque indulgentiis Ecclesiae Sacramentis muniri petiit. Ceterum Pius, cum olim Basileæ ex pestilentia gravissime ægrotaret, jam semel S. Oleo unctus erat, quocirca Laurentius Roverella Episcopus Ferrariensis, celebris admodum Theologus, iterato hoc Sacramentum Pontifici administrandum haud esse asseruit. Hæc equidem erat Sæculi duodecimi & paulo amplius quorundam Theologorum sententia, quæ tamen non adeo frequentes Sectatores habuit. Tunc etiam summus Pontifex hac super re cum Ferrariensi Episcopo disputabat, nec tamen huic opinioni inhærendum censuit. Quare sacram unctionem, & sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum devote recepit, ac die quarta Mensis in Vigilia B. Virginis assumptæ placidissime animam Deo reddidit, anno ætatis ferme quinquagesimo nono, Pontificatus sexto, minus tribus diebus.

Papien-

Papiensis Cardinalis ad suos contra Sæcul. XV.
 tres de successoris electione orationem A.C. 1464.
 habuit, atque in ea hæc in laudem Pii
 Pontificis dixit: *Præclaræ virtutis Anti-* Papiens.
stes fuit. Enituit in eo summa religio, sum- epist. 49.
mæ vitæ integritas, singulare ingenium, do- Odor. Ray-
ctrina ingens; humanitas tanta, quantam na'id. ad hunc
nec experti antehac sumus, Et desideraturi annum.
forstam imposterum erimus. Nihilominus Platina in
Pio cetera laudatissimo id vitio verteba- Pium II.
tur a nonnullis, quod erga literatos sui vid. supr. lib.
Sæculi minus liberalis fuerit, in hoc tamen CXI. §. 70.
excusandus, inquit Platina, eoquod tria Ciacon. Vi-
gravissima bella ab eo suscepta ærarium pon- ctorel & Du-
tificium ita continuo exhausissent, ut cere chesn. in vit.
alieno, ac magno quidem sæpe premeretur. Pii II.
 Cum vero nonnulli eundem carperent,
 quod frequentius Roma absens, Pontifi-
 ciæ Majestatis minus digna facilitate ex-
 teras regiones pervagaretur, Papiensis
 hanc quoque calumniam diluit. Præ-
 terea affirmant alii, Pium sibi metipso sat
 persuasum habuisse, quod magna, quæ
 pro bello sacro adversus Turcas fecisset,
 molimina successus destitueret, nihilomi-
 nus ut vulgi ludibria effugeret, nonnisi
 Brundisium usque navigare, ibidemque
 hyemem transigere, ac demum neglecta
 hujus expeditionis executione Romam
 reverti statuisset, quinimo ne nimis levi-
 tatis, qua tantum opus aggredi præsum-
 pisset, notam incurreret, subjungunt

Sæcul. XV. nonnulli, ipsum finistri successus causam
 A.C 1464 in Principes, eoquod piis ejus consiliis
 defuissent, rejicere voluisse; (*) sed inopinata

(*) *Hanc calumniam Odoricus Raynaldus ad hunc annum num. 48. sequentibus refutat. A quo, inquit, Pii mens melius, quam a Pio ipso explicari potuit? nam alia ipsi affingere, præsertim cum verbis responderint opera, furentis & vaticinantis est; fallente fidem Burgundo, Papa ab administrandi belli sacri onere solutus erat, cum ad id, sub lege, si Philippus adveniret, se obstrinxisset; divinæ tamen gloriæ flagrans studio pericula suscepit. Quod vero Brundisium ire statuisset, num propterea reditum cogitavit? cum jam antea Burgundo scripsisset, occupata a Ferdinando ditione ex ista maritima ora in Græciam, ubi gerendæ rei afforet occasio, adversus Turcas facili trajectu incurrere ipsos posse. Confirmatam itaque potius sententiam de profundenda pro Christianis vita, quam revocatam inde colligimus, neque ipsam culpam indefensæ rei Christianæ in Principes avertere meditatum esse ex industria siagi potest, cum sine navigationis Brundisinae labore, exceptis Hungaro Rege, Venetorum Duce, & Rhodiorum Magistro, ceteros Principes defuisse periclitanti Religioni constaret. Ita Raynaldus, cui optimo jure hæc in rem cum Cicerone addere possumus: miseros esse interdum Principes optime de Republica meri-*

opinata Pontificis mors cunctas istas cu-
ras prævenit.

Sæcul. XV.
A.C. 1464.

Corpus ejus Romam delatum in Ec-
clesia S. Petri depositum fuit, ubi etiam
die vigesima octava Mensis Augusti ter-
ræ mandatum est. Postea in ejus scri-
niis ferme quinquaginta aureorum millia
reperita fuere ad sustinendas belli Turcici
expensas collecta. Communis omnium
sententia eo abibat, ut hæc summa Mat-
thiæ Hungarorum Regi daretur, abs du-
bio, eoquod ipse majora ceteris damna
a Turcis perpeffus, necnon gravioribus
adhucdum periculis expositus esset, &
aliunde Veneti, cum in hujus Regis po-
tentia plurimum considerent, illum etiam
adeo potenter adjuvari cuperent, ut ho-
stibus valide resistere posset.

§. CV.

*Congregatio Cardinalium defuncto
Pontifice habita.*

Mortuo Pontifice Principes, qui Anco-
nam venerant, ad suam quisque pa-
triam iter relexerunt; Cardinales vero
congregationem habebant, in qua Dux
Vene-

meritos, quod in iis homines non solum præ-
claras res obliviscantur, sed nefarias etiam su-
spicentur.

Sæcul. XV Venetus medius inter duos postremos
 A.C. 1464 Diaconos Cardinales confedit, ac ele-
 ganti oratione defuncti Pontificis præcla-
 ra non minus, ac pia dilaudavit consilia,
 sacrumque Purpuratorum Collegium ad-
 hortatus est, ut Successorem eligerent,
 qui pari Religionis studio animatus, in-
 cæptam sacræ militiæ executionem stre-
 nue urgeret, simulque Venetos, ut bel-
 lum jamjam inchoatum profèqui possent,
 collatis opibus adjuvaret. Absoluta hac
 oratione decretum fuit, quod triremes
 a defuncto Papa instructæ, quæ tum in
 Anconitano portu hærebant, Venetis
 relinquerentur, eo fine, ut eisdem, pro-
 ut bene visum fuerit, uterentur, simul
 tamen sponderent, quod hæc triremes
 reddere velint, si forte neo-electus Pon-
 tifex hanc cessionem ratam non haberet,
 vel ipse juxta Prædecessoris sui exem-
 plum bello adversus Turcas interesse sta-
 tueret.

Papiens.
Comment. l. 2
Et epist. 41.

§. CVI.

*Cardinales Ancona Romam petunt,
 Papam electuri.*

Placuit Patribus pia Ducis Veneti vo-
 luntas, ac digni Successoris subro-
 gandi sollicitudo; hujus tamen electio-
 nem Romæ habendam, e re fore visum
 est

est omnibus. In hoc quoque Papæ defuncti mentem sequebantur; Is enim, Sæcul. XV. A.C. 1464. antequam Mantuam discessisset, hac super re decretum edidit, aliunde vero plerique Cardinalium Ancona absentes erant; quippe eorum non pauci ob de- vid. supra lib. CXL. S. I. crepitam ætatem Romæ subsistere cogebantur. Unde ceteri Romam accedere statuerunt. Mox ubi urbem ingressi erant, in ædibus Ludovici Cardinalis Aquilejensis Patriarchæ S. R. E. Camerarii convenerunt, ac de loco, ubi conclave haberetur, deliberarunt; non paucis enim eorum arcem S. Angeli accedere timebant, eoquod Antonius Piccolominæus defuncti Papæ Nepos, & Ferdinandi gener illam adhucdum in sua potestate haberet; quin imo tam vehemens quorundam erat metus, ut nequidem defuncti Pontificis exequiis interesse auderent. Nihilominus cum Amici Piccolominæi, qui eo tempore Roma absens erat, fidem facerent, quod Antonius, quam primum redux esset, sacro collegio arcem cum omnibus custodiæ suæ commissis integre redditurus foret, Cardinales dissipato metu ac plurium suffragio, S. Collegii comitia in Vaticano celebranda decreverunt.

Sæcul. XV.
A.C. 1464.

§. CVII.

Cardinales Conclave ingressi.

Igitur Patres numero viginti & unus(*) die vigesima octava Mensis Augusti Conclave ingrediuntur; eo tempore sacrum Collegium viginti octo Purpuratos numerabat, ceteri vero septem Roma aberant. Primis diebus nonnisi Conclavis Ministri nominabantur, qui de more Sacramenti Religione sese obstringebant, postea quædam statuta ad bonam Pontificatus administrationem necessaria condebantur, ac Cardinalium quisque jurejurando promittebat, quod ea, si illum in Papam eligi contingeret, exacte servare velit. Demum ad primam portam, quæ proxima erat Patribus, decem Episcopos

(*) Pagius in suo Breviario ad hunc annum sum. I. Continuatores viginti & unum Cardinales numerantem carpit, dicens: Continuator absque auctoritate ulla septem abfuisse asserit, atque haud scio, forte, cum solent duæ partes Cardinalium Pontificem facere, cumque quatuordecim voces has duas partes conficiebant, quibuscunque confecta est electio Pauli II, viginti & unum enumerat, sed quis non videt eum errore duci? nam ad confiendas duas partes novemdecim Cardinalium, quatuordecim pariter desiderantur.

scopos collocabant, qui scrutarentur sin- Sæcul. XV.
 gula, quæ vel cibi vel alterius rei caussa A.C. 1464.
 ad eos deferrentur; secundam Portam
 Oratoribus Regum, Principumque, qui
 Romæ erant, custodiendam commise-
 runt; tertiam demum Prætoriani mili-
 tes cingebant. His ita dispositis cuncti
 Cardinales tertia die Rocchetum ac viola-
 ceum amictum, & sacram epomidem indu-
 ti in Capella Nicolai Papæ (*) quæ post-
 ea Paulina vocabatur, conveniunt, &
 re divina de Spiritu Sancto a Sacellano
 peracta, omnes ordine suo schedas pro-
 priis suis sigillis clausas in calicem aure-
 um ad altare positum immittunt: Primo,
 ut vocant, scrutinio absoluto, tres Car-
 dinales Ordinum Principes, id est, pri-
 mus inter Episcopos, primus inter Pres-
 byteros, & Diaconorum primus calice su-
 per altare inverso, schedas numerabant,
 quas, cum earum nullas deesse comperi-
 rent, primus Cardinalium aperuit, & pri-
 mus Diaconus alta ac distincta voce ele-
 ctorum nomina prælegit; ceteri vero
 Cardinales chartam lineis suis discretam
 habebant, in qua nominatorum suffragia
 descripserunt, ut denique invicem con-
 ferre possent, in quem potior eligentium
 pars conspiraret.

§. CVIII.

(*) *Legendum est:* Beati Nicolai.

Sæcul. XV.
A.C. 1464.

§. CVIII.

*Cardinalis S. Marci in Papam
electus.*

*Platin in
Paul. II.*

Bzov.

*Spond. Ray-
nald. ad
hunc ann.*

Cum vero juxta legum præscripta ad electionem quatuordecim suffragia requirerentur, ac Cardinalium nullus totidem sibi soli acquisivisset, ad secundum scrutinium procedere oportuit, in quo præprimis Petrus Barbo patria Venetus, Cardinalis tit. S. Marci solus duodecim tulit suffragia. Vir erat mediæ ætatis, nondum octo & quadraginta annos emensus, ac aliunde in rebus gerendis dexteritate longe præstantissimus. Huic cum nonnisi duo suffragia ad legitimam electionem deessent, confestim quatuor alii Cardinales ad reliquos accessere. Postea Bessarion Cardinalis unumquemque ordine suo appellans sciscitabatur, num omnes electionem ratam haberent? cum igitur nemo unus quicquam opponeret, Bessarion Petrum adiit, ac in ejus amplexum ruens inquit, *ego nomine omnium te rursus in Papam eligo.* Eodem temporis puncto ceteri Cardinales Neo-electum salutarunt, eumque rogarunt, ut statuta prius condita juramento firmaret. Hoc præstito Diaconorum primus fenestram aperuit, ac confluenti populo crucem ostendit, simulque electionem his verbis

verbis annuntiavit: *Habemus summum Pontificem Petrum Venetum, Cardinalem tituli S. Marci.* Sæcul. XV.
A.C. 1464.

§. CIX.

*Neo-electus Papa vocatus Paulus II.
ejus indoles.*

Post hæc Cardinales ab eo sciscitabantur; quodnam nomen assumeret? Respondit ille, velle se *Formosum* appellari; cum vero formosissimus, ac corporis venustate conspicuus esset, ceteri Cardinales existimabant, quod neo-electus Pontifex ad formæ suæ præstantiam alludere voluerit; quapropter eidem auctores erant, ut hoc nomen dimitteret, ne forte inanis gloriæ calumniam incurreret. Papa horum monitis acquiescens Marci nomen elegit; cum vero & illud Cardinalibus minus gratum esse cerneret, tandem Pauli II. nomen sibi adscivit, cunctis eidem applaudentibus. Postea statim omnes Cardinales denuo gratulabundi ad ejus pedes procidunt, illamque venerantur; solus tamen Cardinalis Aquilejensis electioni oblectari credebatur. Nihilominus paucis post diebus inaugurationis solemnia fuere peracta.

Fuit neo-electus Papa Filius Nicolai Barbi, & Polyxenæ, quæ Eugenii IV.
soror

Sæcul. XV. foror erat. Hunc idem Pontifex primo
 A.C. 1464. Archidiaconum Bononiensem, ac de-
 mum Episcopum Cerviensem in Roman-
 diola renuntiavit, præterea inter Proto-
 notarios Apostolicos eundem illis accen-
 sivit, qui *Participantes* vocantur, postea
 vero Anno millesimo quadringentesimo
 quadragesimo Cardinalem creavit, &
 Calixtus III. illum legatione in Campa-
 nia Romana decoravit. Nonnulli refe-
 runt Auctores, quod neo-electus Ponti-
 fex facile ad lacrimas flecti potuerit, at-
 que ideo nonnunquam, cum precibus, va-
 lidisque rationibus, quod diceret, aut
 juberet, consequi non posset, ad incli-
 nandos animos lacrimas addiderit. Hanc
 ob rem Pius II. Pontifex illum *Mariam*
piantissimam interdum appellabat. Cete-
 ra Vir erat formæ elegantia, ut jam me-
 minimus, ac animi celsitudine nemini se-
 cundus, præterea in omnibus rebus ma-
 gnificentiam & splendorem adhibere stu-
 debat.

*Ambros. de
 Vignate
 orat. ad
 Paul. II.*

§. CX.

*Leges in Conclavi præscriptæ, &
 a Papa Juramento firmatæ.*

Statuta vero in Conclavi a Cardinalibus
 præscripta, quæ Neo-electus Ponti-
 fex jurejurando firmaverat, præcipuæ
 erant: ut inchoatam expeditionem in
 Turcas.

Turcas prosequeretur: corruptos Romanæ Curiae mores ad veterem disciplinam restringeret: Concilium generale intra triennium convocaret: Cardinalium numerum ultra viginti quatuor non auget, nec quemquam nondum expleto trigesimo ætatis anno assumeret, aut qui præter juris Pontificii & civilis prudentiam in sacris literis versatus non esset. Præterea sancitum, ne plures quam unicum de cognatione sua præfatis dotibus ornatum ad purpuram eveheret: de Episcopatum regimine non nisi in consistorio deinceps decerneret, nec jus ad illos nominandi ulli omnino concederet, nullum Episcopum aut Abbatem ad solas Principum preces sede sua pelleret; nec Cardinalem damnaret, aut ejus bona occuparet, nisi juxta juris, & sacrorum Canonum præscripta: Patrimonium Ecclesiæ non distraheret, bellum nullum susciperet, aut foedus iniret cum Principibus, nisi de consensu sacri Collegii: Testamenti condendi libertatem Curiae Romanæ subditis permetteret: Vectigalia, nec nova induceret, nec vetera auget: Nulli Principi decimas de Clericorum bonis sine urgentissima ratione concederet: Provinciarum Rectoribus iudices daret, quibus administrationis ac rei gestæ rationem reddere tenerentur, denique statutum, ut quotannis bina vice

Car-

Sæcul. XV.

A.C. 1464.

Sæcul. XV. AC 1464. Cardinales seorsim convenirent, ac agnoscerent, an præfatæ leges debite servarentur: si vero eas fuisse neglectas deprehenderent, Pontificem sui officii admonerent, eumque ad observanda hæc statuta hortarentur.

§. CXI.

Papa has leges observare renuit.

Verum cunctas hæc leges ad effectum deducere, haud exigui moliminis res erat. Paulus, quamvis eas non solum ut Cardinalis, sed etiam ad supremum Pontificatus apicem evehens jurejurando firmasset, nihilominus illas violare haud dubitavit, non tam propria voluntate, quam præcipue aliorum instigatione inductus. Erant enim inter ejus Ministros duo Prælati doctrina ac dexteritate per celebres, Stephanus Ecclesiæ Mediolanensis Archiepiscopus, & Theodorus Tarvesinus Antistes. Hi cum Cardinalatum immoderatus ambirent, ac hæc legibus eorum cupiditati viam præcludi ægre ferrent, Pontifici suggerebant, indignum esse, quod Vicarius Christi ejusmodi hominum statutis, quæ eidem præscriberentur, subjiceretur. Cum igitur Pontifex jurium suorum ac privilegiorum oppide tenax esset, faciles horum suasionibus aures commodavit: novasque perinde

inde ac si ex consensu Cardinalium præscriptæ fuissent, leges condidit, eo usus obtentu, quod priores inutiles essent, ac proin nonnisi posterioribus sese subicere vellet. Obtulit quoque easdem Cardinalibus, petiitque, ut illis subscriberent; eorum nonnulli illico parebant, quamvis has leges nec maturius examinassent, imo nequidem inspexissent; alii vero nonnisi anathematis comminatione perterriti cesserunt. Postremo autem omnes consensu suo accesserunt, uno excepto Joanne de Carvajal Cardinale, natione Hispano, qui sententiam suam mutare pertinacius renuit. Pontifex hujus firmitate expugnatus, libellum in sua scrinia recondidit, nec unquam illum deinceps protulit, minus vero eundem transcribi permisit.

Ceterum, quod Deus hujus consilii Auctores castigare voluerit, haud obscuro argumento colligimus; Mediolanensis enim Archiepiscopus Cardinalatus spe dejectus, etiam curia excedere compulsus est, & Tarvisinus Antistes secreto quidem Cardinalis creabatur, sed in tam gravem incidit languorem, ut brevi vitæ tædio consumptus, eo vehementiori dolore animam redderet, quo citius dignitatem tanta anxietate quæsitam dimittere cogeretur. Cardinalis Papiensis de hac violentia, quam Pontifex Cardinalibus

Hist. Eccles. Tom. XXIX, K. bus

Sæcul. XV.
A.C 1464.

Sæcul. XV. bus intulit, graviter indignatus, suam suo-
 A.C. 1464. rumque confratrum levitatem inculat,
 qua Bardum in Pontificem elegissent,
 simulque eorum redarguit ignaviam, qui
 secum huic libello subscripserant; deni-
 que omnes adhortatur, ut in posterum
 cautiore juxta, ac prudentiores essent,
 nec externæ hominum formæ aut eo-
 rum verbis fidem adhiberent.

§. CXII.

*Prærogativæ Cardinalibus a Papa
concessæ.*

Ceterum Pontifex, ut Cardinalium be-
 nevolentiam sibi conciliaret, eorum
 dignitatem luculentis honorum signis il-
 lustrare conabatur. Indulsi igitur omni-
 bus usum Mitræ sericæ, quibus soli Ro-
 mani Pontifices antea utebantur, vetuit-
 que, ne deinceps inferiores Prælati illas
 deferrent. Præterea concessit, ut suos
 equos, aut mulos rubris stragulis ornare
 possent, Cardinalibus vero ejusdem colo-
 ris galeros, quos *bireta* vocant, dedit.
 Auctor additionum ad Ciaconium testa-
 tur, vidisse se Pauli II. Pontificis numis-
 ma, quod exhibebat Cardinales in pu-
 blico Senatu unacum Pontifice ejusmodi
 galeris ornatos; ex quo idem Auctor col-
 ligit, ab hoc Pontifice Cardinales pileo
 rubro primum fuisse decoratos. Ast in
 hoc

*Addit Cia-
 con. ad
 Paul. II.
 in fin.*

hoc hallucinari videtur (*); antiquiorum enim Scriptorum testimonio discimus, Innocentium quartum in Concilio Lugdunensi Anno millesimo ducentesimo quadragesimo quinto similes galeros Cardinalibus indulgisse; igitur eos a Paulo II. nonnisi vestimenta purpurei coloris accepisse dicendum est. Postea Gregorius XIV. pariter Cardinalibus Regularibus *bireta* rubra concessit, quibus tamen antea duntaxat pileum gestare datum erat. Demum Urbanus VIII. illos *Eminentissimos* appellari voluit; prius enim nonnisi *Illustrissimi* salutabantur. Ab hinc concessionibus epocha dignitatis, qua Episcopos præcedunt, petitur. Nihilominus quandoque Episcopi post illud tempus in functionibus solemnibus & publicis congregationibus etiam præsentate Pontifice Cardinalibus adhuc præponebantur. Hujus rei exemplum extat in Concilio Claramontano, quod Urbanus II. Anno millesimo nonagesimo quinto in Alvernia convocabat; Ibi enim Hugo Lugdunensis Episcopus secundum a Papa locum tenebat, illum vero recto ordine Archiepiscopi & Episcopi, sequebantur,
ac

(*) Unde Continuator hæc desumpserit, ignoramus; Auctor enim additionum de his ne unicum quidem verbulum habet.

Sæcul. XV. ac demum post eos proximi incedebant
A.C. 1464. Presbyteri, & Diaconi Cardinales, qui
 advenientem Pontificem in suo itinere
 comitati erant.

§. CXIII.

Octo Cardinalium Electio.

Hoc anno Paulus II. ut Cardinalium
 numerum auget, octo ad hanc di-
 gnitatem promovit, quorum impræsen-
 tiarum nomina exhibemus. Primus erat
 Thomas Burcherius Anglus, Archiepi-
 scopus Cantuariensis, Presbyter Cardi-
 nalis tit. S. Cyriaci. II. Stephanus de
 Varas natione Hungarus, Archiepisco-
 pus Collocensis, Presbyter Cardinalis
 tit. SS. Nerei & Achillei. III. Oliverius
 Caraffa patria Neapolitanus, ejusdem
 urbis Archiepiscopus, Cardinalis Presby-
 ter tit. SS. Petri, & Marcellini, Alba-
 nensis, Sabinensis, & Ostiensis Episco-
 pus, ac Sacri Collegii Decanus. IV. Mar-
 cus Barbus Venetus, Episcopus Vin-
 centinus, & Patriarcha Aquilejensis,
 Presbyter Cardinalis tit. S. Marci. V. Jo-
 annes Balves, Gallus (*), Andegaven-
 sis

Vid. infra
lib. CXIII.
 §. 9.

(*) *Antonius Paggius in suo Breviario ad*
annum 1467. num XXIV. Continuatores car-
pit, Et hunc Joannem Balves primum dicto
anno Cardinalem fuisse creatum ostendit.

sis Episcopus, Presbyter Cardinalis tit. Sæcul. XV.
S. Susannæ, & Episcopus Albanensis. A.C. 1464.

VI. Amicus Agnifilius, ejusdem urbis Episcopus, Presbyter Cardinalis tit. S. Mariæ trans Tyberim. VII. Franciscus de Rouere, Savonensis, Ordinis Fratrum Minorum Generalis Minister, Presbyter Cardinalis tit. S. Petri ad vincula, qui postea sub nomine Sixti IV. Cathedram S. Petri rexerat. VIII. Theodorus Palæologus ex Marchionibus Montisferrati, Cardinalis Diaconus tit. S. Theodori; hic idem est ac Episcopus Tarvisinus, cujus supra meminimus.

§. CXIV.

Negotium belli Turcici a Papa promotum.

Summus Pontifex non solum ampliando sacri Collegii Decori intentus erat, *Papiens. ep. 58. & 59.* sed ad publica quoque negotia suam sollicitudinem extendit; mox enim ac assumptus esset ad supremum Ecclesiæ apicem, serio animum adjecit, ut pro bello adversus Turcas prosequendo necessaria disponeret. Quare tres ex Cardinalibus selegit, qui cum Principum Itatorum oratoribus, qui tunc Romæ aderant, de sacra expeditione conferrent. Cum vero summi Pontificis sententia eo abiret, ut quisque ex Italiæ Principibus, quamdiu bello

Sæcul. XV. contra Turcas impliciti essent, certam
AC 1464. pecuniæ summam quotannis penderet,
 eaque Regi Hungariæ traderetur, cum
 hic ad conterendos infideles ceteris ma-
 gis idoneus, & jam belli diuturnitate ex-
 haustus esset. Ad hæc quivis Princeps
 pro facultatum suarum ratione subsidia
 sponndit; e re enim fore arbitrabantur
 cuncti, ut præprimis Ferdinandus octo-
 ginta millia, Veneti centum millia, Dux
 Mediolanensium septuaginta, Florentini
 quinquaginta, Dux Mutinæ viginti,
 Marchio Montisferrati quinque aureorum
 millia suppeditarent. Nullus tamen ho-
 rum Oratorum hanc subsidiorum distribu-
 tionem acceptavit; causabantur enim
 omnes, se publico suorum Principum
 mandato non esse instructos, de cetero
 ea, quæ jam proposita fuissent, illis per-
 scripturos, seque eorundem consensum
 præstolaturos ajebant.

§. CXV.

*Oblata a Principibus Italiæ ad hoc
 bellum subsidia.*

Solidos sex menses hæc Principum con-
 sultatio tenuit; tandem Ferdinandus
 Rex promisit, se aureorum nummum
 millia, quingentosque equites, ac toti-
 dem pedites per Epirum, antiquæ Græ-
 ciæ Provinciam missurum, ea tamen lege,
 ut

ut census in eam diem Romanæ Eccle- Sæcul. XV.
A.C. 1464.
siæ debiti, qui ad longe majorem sum-
mam ascendebant, remitterentur. Veneti singulis annis quingenta (*) millia in Hungariam mittere spondebant. Enimvero magni momenti res erat; siquidem ipsi jam aliunde cum Hungaris adversus Turcas bello impliciti & pro sustentanda propria classe, & alendis copiis graves admodum sumptus facere compulsi erant; hac tamen conditione nova hæc promittere subsidia, si decimæ Ecclesiarum, vigesimæ Judæorum, & trigesimæ Civium indulgerentur. Dux Mediolanensis sub eadem lege duo millia equitum, ac mille pedites regiis Ferdinandi copiis jungendos offerebat, demum Florentini mille equites, quingentosque pedites, vel quotannis duo aureorum millia polliciti sunt: reliqui vero omnino nihil rescripserunt. Tandem totum negotium amplis quidem pollicitationibus absolutum, nihil tamen pro Ecclesiæ ac Religionis bono præstitum est, iis etiam, qui multa offerebant, unice sua commoda procurantibus. Nihilominus Pontifex non destitit pecunias Hungaris subministrare, eo quod Veneti, qui cum Matthia foedere juncti erant, bellum prosequerentur. Sabellie. 3.
dec. 3.

§. CXVI.

(*) Apud alios Scriptores legitur: quinquaginta.

Sæcul. XV.
A. C. 1564.

§. CXVI.

*Patrum Senatus de gratiis expectati-
vis, & Beneficiorum commendis.*

Mense Septembri ad finem vergente summus Pontifex habito Romæ Patrum Senatu de gratiis, quas *expectativas* appellant, agere coepit, proposuitque, an rejiciendæ, vel concedendæ essent? Non eadem omnium erat opinio, tandem vero in Joannis Carvajali Cardinalis sententiam itum est, qui asserbat, diu laborasse Sedem Apostolicam, donec impetrare posset, ut paterentur Ordinarii ejusmodi gratias in suis Dioecibus introduci, proin hancce prærogativam omnino negligendam non esse: subjunxit tamen, hujus rei decisionem per menses aliquot differendam esse, donec novi Pontificis electio cunctis Nationibus innotesceret. Proximo autem Patrum Senatu, qui altera post Pauli II. inaugurationem die habebatur, Cardinalis Ostiensis retulit, quod Episcopus quidam post puram & simplicem cessionem Abbatibus fiduciarium possessionem celebris

Masson. hist. Franc. l. 4. in Ludov. IX. & de Rom. Episcop. l. 6. in Paul. II. cujusdam Monasterii in Gallis sibi concedi petierit, ejus tamen postulatis Carvajalus acriter obstiterit, ajebat enim: *Vereor, Beatissime Pater, ne propediem audiamus omnia Galliarum Cænobia commenda-
data*

data esse; ita quicquid ibi a nobis decernitur, commendatio est. Surget nobis non expectantibus aliquando Regnum istud in nos, ferre ultra non valens inutile ministerium nostrum. Paulus Pontifex Cardinalis sententiam approbans addidit, credere se a Pontificatu Calisti usque in præsentem diem amplius quam quingenta monasteria esse jam commendata, atque ideo timere se, ne corruptela hæc in grave scandalum Ecclesiæ erumperet. Papiensis Cardinalis cuncta ista facta retulit, ac sententiam Carvajali Cardinalis laudans inquit: digna fuit sententia non solum Viro Deum timente, sed summæ sapientiæ Cardinale, qui attendit, quod commendandorum ab initio cœnobiorum non ea fuerit ratio Patribus nostris, ut saginandis Ecclesiasticis illa darentur, sed ut fide & studio alicujus ea, quæ occupata a sæcularibus essent, redimerentur, & neglectus Dei cultus in pristinum revocaretur.

Sæcul. XV.
A. C. 1464.

Masson hist.
Franc l. 4 in
Ludov. IX.
Episc. de Rom.
Episc. lib 6
in Paul. II.

§. CXVII.

*Fleurii Abbatis sententia pro
commendis.*

Verum ut fiduciarias ejusmodi beneficiorum possessiones vindicemus, haud abs re asserere possemus, quod Abbates Regulares, excepto exiguo eorum numero, qui sat austeram disciplinam profitentur, monasteriorum proventus forte

K 5

haud

Sæcul. XV. haud ad meliores impendant usus, iisque
A C. 1464. liberius abutantur, quam non pauci ejus-
 modi possessores, quos *Commendatarios*
 vocant. *Religiosi non reformati*, inquit
 Abbas *Fleurius*, parum œdificant *Ecclesiam*,
 & si vel maxime exactissimam correptionem
 admitterent, vix sperandum, ut eorum
 tantus sit numerus, qui fuit eo tempore, cum
Cluniacenses, & *Cistercienses* instituerentur,
 ubi *Religiosi mendicantes*, *Jesuitæ* & alii
Clerici Regulares, & tot sanctæ Congrega-
 tiones ignorabantur, quæ ultimis quatuor
 sæculis *Ecclesiæ* utilissimam navarunt, atque
 etiamnum navant operam. Quare non est
 dubitandum, *Ecclesiam* pro temporum di-
 versitate aliter atque aliter de fructibus suis
 disponere; beneficia regularia collegiis, se-
 minariis, aliisque communitatibus applicare,
 & monasteria *Episcopis*, qui tenuem cen-
 sum e diœcesi colligunt, vel *presbyteris*, qui
 utilem *Ecclesiæ* operam post *Episcopum* na-
 vant, commendare posse. Si qui sunt, qui
 commendis abutantur, proventum *Ecclesiæ*
 capientes, cui non serviunt, & præter ne-
 cessitatem plures accumulantes, ii in distri-
 cto judicio *Deo* rationem reddendam esse
 meminerint. (*)

§. CXVIII.

(*) *Hæc ultima Fleurii verba Continuator*
etiam Abbatibus applicare debuisset, maxime,
 quia etiam supposito malo reddituum usu, cul-
 tus

§. CXVIII.

*De Canonicis Regularibus Ecclesiæ
S. Joannis ad Lateranum
Romæ.*

Jam olim Eugenius IV. Pontifex Canonicos Regulares, ut Romæ in Lateranensi Ecclesia divinis vacarent officiis, insti-

Sæcul. XV.
A.C. 1464.

Platin. in
Paul. II.

tus tamen Dei ibi non minuitur, Fundatores pia intentione non fraudantur, Regularis observantia custoditur, quod tamen cessat, dum monasteria non solum secularibus, sed & persæpe turpibus & indignis personis commendantur, quare non immerito cum Joanne Papirio Massonio, quem impræsentiarum Continuator allegat, exclamamus: O incestuosas beneficiorum perpetuas commendationes! quo errore Gallia in funestum pene morbum incidit. Absentibus enim Episcopis, & monasteriorum legitimis, verisque Patribus oves deglutiri necesse est, templa dirui, disciplinam ruere, plurimos ab Ecclesia abigi, literarum studia desereri; quæ mala quotidie in Gallia videmus, & Aulicos, corruptissimum hominum genus, pinguedine ecclesiastica inflatos intumescere, vendique & emi passim sacerdotia: quod cum olim Simonia esset, hodie industria censetur. *Mirum! carpuntur Pontifices, quod ad decorem Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ sustentationem ab Eccle-*

Sæcul. XV. instituebat; eos vero subrogatis sæcularibus Clericis Callistus III. expellebat; hoc autem anno rursus Paulus II. Papa eandem Ecclesiam præfatis Canonicis adjudicavit, parum sollicitus, quod hanc ob rem Romanorum animos a se alienaret. Ergo Canonici suas rursus sedes occupant, & divina officia persolvunt, quam-

*Pennot. de
Cleric. c. non
lib. 30 §. 1.
Onuphr. in
Sist. IV.*

*Ecclesiasticis beneficiis semel portionem reddituum seu Annatas exigunt, ac propterea Ecclesiam indigere reformatione in capite & membris exclamatur; jam vero, dum importune petitur, ut integra Monasteria, fundationes, & earum proventus etiam sæcularibus ad profanos, & persæpe turpes usus in perpetuum permittantur, tanquam laudabilis commendatur disciplina, aut saltem tanquam æque prava consuetudo, ac si Abbatibus male utentibus relinquere-
tur monasteria, quasi remedium mali foret, malum ab una ad alteram transferre personam. Quinam vero sint hi pravi usus Abbatum Regularium, discere poterit Lector ex P. Veremundo Gusi in sua defensione Jurium status Ecclesiastici parte II, præcipue vero Sect. III. cap. II. §. 4. 5. & 6. Ceterum lector haud sat mirari poterit, quod Basileenses Reformatores in eorum conventiculo hanc corruptelam e regno eliminari non postularint. Ast nempe non reformandi studium, sed Papæ auctoritatem deprimendi libido eos incefferat.*

quamvis sæculares adhucdum in Laterano permanerent, ac seorsim a Regularium choro canonicum pensum explerent; tandem vero, ut Ecclesia Regularibus integre addiceretur, ac Sæculares penitus inde arcerentur, his morte sublatis, aut a Lateranensi Ecclesia recedentibus, in eorum locum nulli alii subrogabantur. Ea res acriter Romanos offendit, magis tamen indignabantur, quod Paulus Papa illius Ecclesiæ beneficia, neglectis civibus Romanis, extraneis conferret; unde frequentes adversus eum querelæ, ac indignationes audiebantur.

Sæcul. XV.
A.C. 1464.

§. CXIX.

Quorundam Cardinalium consilia de Avenionis alienatione.

Cum in quodam Patrum Senatu a nonnullis Cardinalibus ad componendas contentiones, quæ de Regno utriusque Siciliæ tum fervebant, propositum esset, quatenus Pontifex Andegavensibus Avenionem, & Comitatum Venaissinum traderet, ea lege, ut ipsi Neapolis Regnum Ferdinando cederent, Carvajalus Cardinalis ejusmodi consiliis acriter oblectabatur, huncque in modum perorabat: *Hæc permutatio Sedi Apostolicæ summe perniciofa est, unde omni ope & operacurandum, ne Romana Ecclesia hoc patrimonium*

Papiens. epist. 94.

monium

Sæcul. XV. *monium trans Alpes perdat: Est refugium*
A.C.1464 *pulsis Pontificibus, & durum Italis frænum,*
ne ad vexandam Ecclesiam licenter cur-
rant, sed in officio contineantur, metuentes,
ne summi Pontifices, relicta Roma, sedem
Avenione figant. Nec tamen deerant, qui-
bus contraria infederat opinio; crede-
bant enim, hanc ipsam urbem transal-
pinis Pontificibus illecebram fore, ut
sine alia causa, quam patriæ suæ deside-
rio stimulati, sacram Sedem eo transfe-
rant. Verum alii hoc rationis momen-
tum rejicientes responderunt: Vix ullos
transalpinos Pontifices erit reperire, quos a-
deo cælum Gallicanum capiat, ut velint
Principatum temporalem Sedis Romanæ,
atque ipsam Sedem prædonibus relinquere.
Æstimatio major Romæ est, libertas major,
potestas operandi, ut volunt, major. Pon-
tifex Avenioni conclusus non minus alienæ,
quam suæ ditionis est; cum hic est, Orbi im-
peritat. Ceterum huic periculo, quo sa-
cram Sedem Avenionem transferri time-
bant, præclare obviabant Cardinales;
quippe jam per tria sæcula hætenus
nullum Pontificem elegerunt natione
Gallum, cum tamen prius, ac præcipue
ante schisma, & illo durante satis fre-
quens esset eorum inauguratio. ()*

§. CXX.

(*) Vide supra lib. CXI. §. LXII. pag. 546.

§. CXX.

Sæcul. XV.
A.C. 1464.*Paulus II. Papa Regem Bohemiæ
sibi conciliari intentus.*

Cum Pium II. inter & Georgium Podiebracium Bohemiæ Regem in-
 teratum, apertumque ferveret odium, Rex Parianf. comm. lib. 9.
 comperta Pontificis morte palam lætitiæ
 suæ signa edebat. Dissidii causa hæc
 erat: Pius Podiebracium tanquam hæ-
 reticum ac Hussitarum Fautorem habe-
 bat; nec eum sua fefellit opinio. Quip-
 pe Podiebracius usum Communionis sub
 utraque specie velut bono Religionis om-
 nino necessarium pertinaciter tuebatur;
 Neuter igitur eorum a sua sententia
 dimoveri poterat; quamvis enim Rex
 Bohemiæ se præsentis Romanæ Eccle-
 siæ consuetudini adhæsurum spondis-
 set; simulata tamen erant Regis promiss-
 sa. Quare Pius II. nuper defunctus Gre-
 gorium, eoquod ejus patientia abutere-
 tur, in judicium vocavit, jussitque, ut in-
 fra centum & octoginta dies Romæ com-
 pareret; cum vero interea Pontifex vi-
 vis ereptus fuisset, Rex erroribus suis
 pertinacius inhæsit, eosdemque tueri sta-
 tuit; unde de Pontificis obitu triumphaba-
 bat, ratus, se a potentissimo hoste libera-
 tum esse.

§. CXXI.

Sæcul. XV.
A.C 1464.

§. CXXI.

*Rex cum Sede Apostolica conciliari
paratus.*

*Cochl. Hist.
Hussit. lib. 12*

Nihilominus cum Regi nuntiatum es-
set, quod Fridericus Cæsar Legatos
suos Romam decrevisse, qui Neo- electo
Pontifici filialis obsequii homagium ex-
solverent, atque obedientiam sponde-
rent, dubius hæsit, an non & ipse pari
submissione sese Pontifici devoveret.
Quare hac super re consilium petiit a
Cæsare, qui Regi auctor fuit, ut lega-
tionem differret, donec exploratum ha-
beret Pontificis animum; cum enim
ei dies dictus esset, timendum foret,
ne ejusdem Legatis Papam alloquendi
copia denegaretur; id vero, inquiebat
Imperator, tanta esset ignominia, cui Re-
giam dignitatem exponere nefas foret.
Placuit Podiebracio Friderici responsum,
unde eidem hunc in modum rescripsit;
si Paulus Pontifex iudicii acta adversum
me instructa suspendere paratus est, mit-
tam meos quoque ad eum Legatos, ac
quæcunque imperabit, exequar. Fride-
ricus lubenti animo hoc negotium in se
suscepit: felici admodum successu; impe-
travit enim a Papa, ut sententia adver-
sus Regem differretur.

Interea

Interea Podiebracius, licet erroneæ Sæcul. XV. A.C. 1464.
 suæ opinionis tenacissimus esset, ea ta-
 men usus est moderatione, ut in Catho-
 licos haud ultra sæviret, quin etiam eis-
 dem indulgeret, ut sectam, ac dogmata
 amici sui Rochisanæ, qui Sedem Metro-
 politanam usurpabat, ac Hussitarum ca-
 put erat, publice oppugnarent. Ex ad-
 verso Rochisana æquali modestia haud
 utebatur, sed potius cum solidis ratio-
 num momenti destitueretur, bruta ana-
 thematis fulmina vibrabat, perperam
 persuasus, plurimos ex hisce fidei defen-
 soribus ipso veritatis scuto tutis, inani
 hoc metu prostratum iri. Nihilominus
 certamen^(*) publicum a Capitulo Ecclesiæ
 Catholicæ Pragensis sibi oblatum acce-
 ptabat, verum disputatione ad quintum
 diem protracta, Hæreticus iste de mul-
 tis mendaciis, calumniis, & erroribus
 convictus, toto vultu ruborem emicante
 lingua & aqua hæsit, suam tamen igno-
 miniam ut occultaret, se vicisse, mendax
 jactitare non erubuit.

§. CXXII.

(*) Hanc disputationem postea edidit, ac
 notis illustravit Canisius antiqu. lect. tom. 3.
 sub finem.

Sæcul. XV.
A.C. 1464.

§. CXXII.

Regi Hungariæ sacra corona ab Imperatore restituta.

Bonfin. lib. 4.
dec. 10.

Thuros. c. 66

Necdum Fridericus Imperator sacram coronam, quam tanto tempore detentam sæpius reddere promiserat, Matthiæ Hungariæ Regi restituit: Cum enim, ut supra meminimus, sine hac corona nec Rex Hungariæ publice salatari, nec suæ dignitati debitis obsequiis coli posset, plurimum Imperatoris intererat, diutius eandem detinere; ipse enim Hungariæ solium ambiebat, ad quod olim mortuo Ladislao nonnullorum votis expetebatur, & adhucdum suos in Regno fautores numerabat, qui turbato rerum statu, ac Cæsaris molimine freti, divitiis ac potentia augeri quærebant. Verbo, Fridericus tumida regnum æmulo suo eripiendi spe sopitus, novis indies quæsitis prætextibus, sacram coronam Hungaro restituere neglexit, ut cæcum esse oportuisset, qui genuinam affectatæ hujus cunctationis causam non detexisset. Quare Matthias, quod res erat, suspicatus, statuit diffidii, quod Cæsarem inter & Albertum fratrem ejus fervebat, opportunitate uti, ac indicto bello Fridericum compellere, ut alienum restituat pignus

gnus, eo quod ab eo secura Regni sui possessione dependeret.

Sæcul. XV.

A.C. 1464.

§. CXXIII.

*Concordiæ leges Imperatorem inter,
& Hungariæ Regem.*

Verum Imperator cum probe intelligeret, quod nec suo honori, nec suis commodis congruum foret, si se bello implicaret, tandem coronam Matthiæ reddere statuit, sub quibusdam tamen legibus, quibus a Rege acceptatis, die vigesima prima Julii Anno priore Novostadii concordiæ literæ conficiebantur, quibus sancitum. I. Ut Imperator Matthiam in filium adoptaret, eumque Matthias Patris loco haberet, ac proin Matthias Friderico tanquam Patri suo filiale obsequium, & Fridericus Matthiæ veluti Filio Paternam curam & amicitiam impenderet. II. Si Matthias absque Filiis seu Nepotibus legitimis decederet, regnum Imperatoris esset, aut unius ex Filiis ejus, quem Regnum eligeret. III. Interim quædam intra regni fines oppida cum titulo regio Fridericus retineret. IV. Neuter præteritas exequeretur injurias, sed firma concordia inter utrumque Regnum, populosque esset, ac sine ullo discrimine utriusque subditi ab utroque Principe haberentur, ita, ut tam hi

L 2

quam

Sæcul. XV.
A.C. 1464. quam illi semper communibus juribus ac privilegiis in utroque Regno uti possent. In hisce tamen concordie legibus de sexaginta, ut inquit Bonfinus, vel juxta alios, de octoginta aureorum millibus, quæ Rex Hungariæ Friderico numeraret, nulla facta est mentio; hic enim articulus secretus supprimebatur; eoquod turpe, ac Cæsareæ Majestatis indignum censeretur, ejusmodi pactum tabulis apponere.

§. CXXIV.

Matthias, delata in Hungariam corona, Rex salutatus.

Bonfin. l. c.
Thuros c. 66.
Naucler. vol
3. gener. 49. Igitur corona, quam Hungari non minori veneratione, ac religione exceperant, ac olim Troyani sacrum Palladis simulacrum servabant, tandem restituta fuit. Magnifica prorsus erat pompa, qua rursus illa in Regnum deferebatur; quippe in Germaniam usque mittebantur Legati, qui diadema reciperent, illudque tria equitum millia comitabantur; credebant enim Hungari, palamque asserebant, quod ab hac sola corona Regis sui incolumitas, ac Monarchiæ spes dependeret. Ergo Matthias feria sexta Majoris Hebdomadæ Anno millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto hoc diademate in celeberrimo Regni

gni conventu coronatur. Cum vero Rex Sæcul. XV.
A.C. 1464.
 Hungariæ unice intentus esset, ut in so-
 lio, quod pacis beneficio tranquille ade-
 ptus est, etiam armorum potentia sese
 firmaret: hinc cum Equitibus Poruffis
 foedus iniit, junctisque viribus Zoyni-
 chum superioris Mysniæ oppidum obsi-
 dione cinxit. Ubi vero eidem nunciaba-
 tur, quod numerosus Turcarum exerci-
 tus appropinquaret, totoque impetu jam-
 jam regnum invaderet, Matthias quan-
 tocius relictis omnibus belli tormentis
 ac plerisque impedimentis aufugit. In-
 certum, an Mahometis copiis resistendo
 sese imparem crediderit, aut forte nimio
 terrore perculsus fuerit; semper tamen
 præceps adeo fuga ejus nomini labem
 asperfit.

§. CXXV.

*Nuntius Pontificius a Rege
objurgatus.*

Ceterum in Hungariæ Regis aula ver-
 sabatur quidam Episcopus, Nicolaus
 nomine, qui a Papa missus in Pannonia
 Nuncium agebat. Hic, cum esset homo
 seditiosus, ac turbulentus, necnon calu-
 mniandi licentiæ deditus, præcipuos au-
 læ Proceres apud Regem falsis crimina-
 tionibus suspectos reddere conabatur;
 & quamvis a Rege hac super re sæpius
 L 3 fuisset

Sæcul. XV.

A.C. 1464.

*Galeat.
Martius in
tom. rer.
Hungar.
cap. 13.*

fuiſſet reprehensus, nihilominus vitioſam conſuetudinem deponere parum ſollicitus erat; quapropter Matthias, cum calumnias ejusmodi, ac ſufſurationes ſummo odio infectaretur, Nuntium nihil tale cogitantem in plenum Principum conſeſſum prodire juſſit, palamque interrogavit, quinam eſſent illi, quos vitæ Regis inſidiari noſſet? Ibi cum Epifcopus obmutefceret, reſoluit Rex: niſi me cohiberet ſummi Pontificis reverentia, quam pœnam promereantur calumniatores, oſtenderem tibi; ceterum ejusmodi Nuntios haud ultra tolerabo, qui in meo Regno ſemina diſſidiorum jacere, & Principi vitæ periculum creare attemptant: Regno igitur intra biduum excedas velim, ſi ſecus feceris, experieris, quantum ſcleratae ejusmodi artes Matthiæ Regi diſpliceant.

§. CXXVI.

*Ludovicus XI. Caroleſii Comitem
capere molitus.*

*Monſtrelet.
vol. 3. fol. 103*

Priusquam conjuratio ſub ſpecioſo boni publici nomine in Galliis adornata in apertas erumperet flammas, edocebatur Ludovicus, quod Sabaudia Dux opera cujuſdam Romillæi uſus, cum Caroleſio foedus pepigiſſet, quapropter Rex vindictæ ardore accenſus Comitem prendere,

dere unice intentus erat. Verum op-
 portuno consilio defuit occasio, Carolesio Sæcul. XV.
A.C. 1464.
 ferme semper Hollandiam incolente. Ni-
 hilominus rem tentaturus, Rubemprato
 Notho negotium dedit: parvam conscen-
 deret navim, ac cum quadraginta vel
 quinquaginta juvenibus ad quævis au-
 denda propensis in Hollandiam naviga-
 ret. Rubempratus jussis obtemperat,
 vixque appulsus, portum Gorichemum,
 ubi Comes diversabatur, ingreditur, op-
 portunam præstolaturus occasionem, qua
 Carolesium captum in Franciam secum
 abduceret. Verum postquam Rubem-
 pratus in quadam popina a nonnullis
 cognitus esset, Carolesius rem edoctus,
 illum comprehendi, ac carceri mancipari
 jubet, ipsumque Burgundiæ Ducem, qui
 tum Hedinus agens cum Rege conferebat,
 de rei successu certiores reddit. Com-
 miserat Dux hunc emissarium capiendi
 provinciam cuidam nobili Burgundo no-
 mine Olivario Marchiano, qui & ipse hu-
 jus facti memoriam ad posteros transmi-
 sit. Juvenes vero navigationis socii com-
 perto Rubemprati fato, quantocius ad
 Ludovicum XI. revertebantur, qui fini-
 strum consilii sui eventum cum ingenti
 dolore percepit. Burgundiæ Dux, cum
 Carolesii filii sui libertati insidias a Rege
 structas fuisse intelligeret, sibimetipsi me-
 tuere cæpit: quapropter nulla mora
 L 4 clam

Sæcul. XV. A. C. 1464. clam sese periculo subduxit; id vero eo vehementius Ludovici animum afflixit, quo firmitus ipsum quoque Ducem capere decreverat.

§. CXXVII.

Legati ad Burgundum a Rege missi.

Mem. de Comin. edit. Holland an. 1723. tom. I. cap. I.

Ludovicus spe sua delusus omnium vituperio sese expositum esse tam iniquo ferebat animo, ut etiam illatam honori sui injuriam a Burgundiæ Duce sarciri postularet; quare Insulas, ubi morabatur Dux, Morvillerium Cancellarium suum, Augiensem Comitem, & Archiepiscopum Narbonensem misit, qui Rubempratum a Carolesio Comite fuisse captum quererentur. Morvillerius igitur verba facit, ac nomine Regis postulat, ut Rubemprato in libertatem asserto, læsus Regis honor repararetur, ac Olivarius Marchianus Ludovico traderetur, eoquod ille coram Duce Regem convitiis insectatus esset. Legatus tanta animi arrogantia, ac verborum vehementia perorabat, ut Carolesius Comes, qui præfens aderat, ad Narbonensem Archiepiscopum itidem Legatum conversus diceret: habe me Regis benevolentia enixe commendatum, eique nomine meo dicito, quod quidem acerbius in me per suum Cancellaria-

cellarium invehi ausus esset; ast necdum Sæcul. XV. A.C. 1464.
 emenso unius anni cursu illum temerita-
 tis suæ poenitebit. Post hæc Dux cri-
 mina sibi impacta diluere moliebatur, sed
 legati ejus rationibus quicquam deferre
 renuebant, unde post acerrimas utrinque
 objurgationes colloquium re infecta so-
 lutum est.

§. CXXVIII.

*Vehementior Regis ira in Britannia,
 ac Burgundia Ducis, & Caro-
 lesi Comitem.*

Jam dudum Ludovicus Rex Britannum
 ac Burgundum Ducis clandestina cum
 Carolesio Comite consilia machinari su-
 spicabatur, postquam vero ea, quæ Insu-
 lis gesta fuissent, a suis Legatis inaudit,
 conflatae conjurationis suspicio Regi
 firmiter insedit. Nihilominus foederati
 tanta dexteritate rem gessere, ut Rex ni-
 hil eorum, quæ agitata fuere, detegere
 potuerit, quamvis extremam prorsus ad-
 hiberet solertiam. Ceterum præcipua
 conspirationis capita erant præfati tres
 Principes. Hi, ut sub auspiciis cujus-
 dam Principis Regio sanguine orti rem
 auspiciari possent, Carolum Bituricensem
 Ducem Regis fratrem, qui tum non-
 nisi duodeviginti annos natus aliunde
 Ludovico minus carus erat, ad suas par-
 tes

Sæcl. XV. A.C. 1464. tes pertrahere conantur, eidemque spem faciunt, fore, ut hoc pacto amplio rem hæreditatis portionem a Rege obtineret, simulque sibi majorem nominis sui auctoritatem conciliaret.

§. CXXIX.

Regni Proceres contra Britannia Ducem a Rege Turonium convocati.

Nihilominus Rex, ut Britannia Ducis potentiam frangeret, Turonium Proceres Regni sui convocabat, eisque indignationis suæ causas exponens afferebat: Britannus sibi plura arrogat jura, quæ nullo pacto ei debentur, supremæ vero Majestati exitiosa sunt; quare mei muneris esse arbitror, ut ejusmodi ausibus frænum injiciam, & Ducem ad debitum obsequium reducam. Ad hæc Carolus Aureliae Dux primus regiae stirpis Princeps, cum regni calamitatibus vehementer commoveretur, in hoc confessu hac super re sermonem habere instituit, eo fine, ut Regem, regnique Proceres induceret, quatenus hisce malis opportuno remedio obviarent. Enimvero ut audiretur, ejus ætati, existimationi publicæ, ac dignitati Regiæ dari debuisset, nihilominus sinistre intellectis illius monitis, Rex Principis libertate offensus erat, &

& quo manifestius Aurelianensis veritatem Sæcul. XV.
 propalabat, eo acrius Rex iram, suam A. C. 1465.
 que indignationem prodidit. Dux indi-
 gnam hanc agendi rationem tam iniquo
 tulit animo, ut morbo correptus paucis
 post diebus quarta Januarii die Anno Salu-
 tis millesimo quadringentesimo sexagesi-
 mo quinto animam exhalaret.

§. CXXX.

*Rex Galliae Sfortiam velut Mediola-
 nensem Ducem agnoscit, eidem-
 que jura in Genuam cedit.*

Ludovicus, ut generosam Aurelianensis
 licentiam ulcisceretur, Franciscum
 Sfortiam tanquam Ducem Mediolanen-
 sem agnoscebat, hacque ratione Carolo,
 cujus jura in hunc Ducatum integra e-
 rant, haud leve damnum inferebat. Præ-
 terea ut Sfortiam adhuc ampliori bene-
 ficio sibi obstringeret, omnia jura, quæ-
 cunque Galli in urbem, ac Genuensium
 ditionem habebant, in eundem transtulit,
 addita insuper Savonensi urbe, quam Rex
 adhuc tenebat, simulque ad omnes
 Italiæ Principes perscripsit, quod pro
 hoste Gallicæ coronæ illum haberet, qui
 Genuensibus adversus Sfortiam Mediola-
 nensem Ducem opem ferret. Igitur
 Franciscus potentissimo Regis præsidio
 firmatus, cuncta Ligusticæ oræ oppida,
 ipsam-

Sæcul. XV. ipsamque Genuam suæ potestati subje-
 A.C. 1464. cit. Hanc sortem Sfortiæ Duci datis
 literis gratulatus est summus Pontifex, eo
 vel maxime, quod illo abhinc tempore Ge-
 nuensium ditioni pax & plena tranqui-
 litas reddita esset.

§. CXXXI.

*Seditio in Henricum Regem a Castel-
 lanis Proceribus mota.*

Interea Henricus IV. Castellæ Rex vo-
 luptatibus, genioque suo liberius indul-
 gebat; unde majorem indies subditorum,
 præcipue vero regni Procerum invi-
 diam sibi creaverat; Horum odium quam
 maxime auxit immodicus Regis favor,
 quo Bletisæ Comitem clientem suum
 prosequabatur, illumque non modo ad
 singulas ferme horas beneficiis cumula-
 bat, sed etiam supremum Ordinis S. Ja-
 cobi Magistrum nominabat. Ægerrime
 ferebant Proceres, tantam dignitatem
 ad hæc usque tempora nonnisi Princi-
 pibus regio sanguine ortis conferri soli-
 tam a tali Viro occupari, qui ad supre-
 mos honorum apices haud alio meri-
 torum aut generis suffragio elevatus es-
 set, quam adulterino Reginæ amore;
 Quapropter conjuratione in Regem facta
 divulgant, quod Joanna, quam Regina
 nuper pepererat, ex illegitimo tho-
 ro

ro suscepta esset. Ea res quidem jam omnibus comperta erat, nec ullus dubitabat, quin hæc proles licentioris vitæ, quam Comes cum Regina traducebat, fructus exstitisset; id studiose tamen Proceres etiam in vulgus spargebant, ut Joanna ab hæreditaria Castellani regni successione Natalium vitio exclusa ab omnibus palam haberetur; Imo nec communi hac fama contenti, Comitibus cogebant, ac nequidquam ringentibus quibusdam paucis Regis Comitisque fautoribus, declarabant, quod Joannæ Principi nullum ad Castellanam coronam jus competeret. Præterea Regni Proceres Alphonsum quoque Henrici fratrem in suas partes adtrahunt, eumque legitimum Regni hæredem proclamant; & Magisterium Ordinis S. Jacobi Comiti Bletifensi auferunt; quamvis postea Rex eundem Albuquercienfi Ducatu auxisset. Henricus, cum a subditis suis leges sibi præscribi intelligeret, pacem cum Rege Granatensi iniit, sui que corporis custodiam ducentis Mauris concedidit; Tanta rei indignitas, cum non modo fidei, sed ipsis quoque prudentiæ legibus summopere adversaretur, adeo Procerum animos offendit, ut Alphonsum in Regem suum proclamare non dubitarent; Attamen Henricus conscriptis quibusdam ex Gallia & Granata copiis, rebelles

profli-

Sæcul. XV.

A. C. 1464.

Marian. hist.
Hispan. lib. 23.

Sæcl. XV. profligavit, fratremque suum adegit, ut
A.C. 1464. nonnisi Regni hæres successioni proximus appellari pateretur. Hæc tamen concordia, recrudescantibus paulopost conspirantium turbis, haud diuturna fuit.

§. CXXXII.

Petri de Fuxo Cardinalis obitus.

Onuphr. & Ciacon. in vit. Pontif. Aubery hist. Cardin. Duschén. Sanct. Marth in Gal. Christian.

Inter celebres hujus sæculi Viros, hoc anno vivis ereptus est Petrus de Fuxo Cardinalis, Ordinis S. Francisci, qui erat Archambaldi Bearnæ Principis, Buchii Dynastæ, & Elisabethæ Fuxi seu Flussatum Comitissæ Filius. Is Regulam Fratrum Minorum adultior factus profitebatur in Cænobio de Morlas, ubi sacris profanisque disciplinis egregie instructus, Lescarensis, ac Convennensis Episcopatus administrator nominabatur; demum vero a Benedicto XIII. Pseudo-Pontifice, sive in meriti præmium, sive Fuxenses Comites sibi devinciendi animo, Anno millesimo quadringentesimo octavo Cardinalium collegio adscriptus est. Tuebatur olim Petrus hujus Antipapæ partes usque ad Constantiense Concilium, in quo tamen Ecclesiæ salutem semper privatis fautoris sui studiis præferebat, unde a Patribus præfatæ Synodi Anno millesimo quadringentesimo sexto decimo singulari profus honore exceptus est; datum

datum id fuit Viri nobilitati, ac me-
 ritorum præstantiæ. Præterea Syno-
 dus eidem titulum Ecclesiæ suæ, quam
 ut Cardinalis adoptabat, ratum habuit,
 cunctosque Fuxensis & Bearnensis Co-
 mitatum populos, qui olim Benedicto
 adhærebant, censurarum vinculis absol-
 vit. Postea Petrus conclave, in quo
 Martinus V. Papa renuntiatus est, in-
 gressus, Anno millesimo quadringentesi-
 mo vigesimo quinto Legatus in Arrago-
 niam decernitur, ut schismatis reliquias
 exterminaret. Hac legatione prospere
 functus, secundo in idem Regnum itine-
 re ad pacem & unionem in omnium fi-
 delium corda feliciter reduxit. Decora-
 vit eundem Eugenius Papa Avenionensi
 legatione, qua expleta ad Arelatensis
 Ecclesiæ, cujus Archiepiscopalem Sedem
 tenuerat, sollicitudinem reversus est.
 Anno supra millesimum quadringentesi-
 mo quinquagesimo septimo Avenione
 Concilium convocavit, ibidemque die
 tertia decima Decembris præsentis anni
 animam Deo reddidit, postquam æta-
 tis suæ annos septuaginta octo, Cardina-
 latus vero sibi a Benedicto collati quin-
 quaginta septem expleverat. Idem quo-
 que Anno millesimo quadringentesimo
 quinquagesimo septimo Tolosæ amplissi-
 mum Collegium Fuxense magnis sum-
 ptibus exstruxit, ac opimis redditibus
 dota-

Sæcul. XV.

A.C. 1464.

Vid. supr.
lib. CXI.

S. 42.

Spond. an-
nal. hoc ann.
n. 24.

Sæcul. XV.
A. C. 1464.

dotavit, eo fine, ut in illo viginti quinque pauperes adolescentes educari, ac ingenius artibus imbui possent. Hunc in finem locupletissimam addidit Bibliothecam, quæ omnis generis linguarum, & facultatum libros continebat; unde ex eodem hoc Collegio in Sæculo decimo septimo plurimi admodum præclari Viri prodire, quamvis hodie adeo illius decreverit fama, ut illud Spondanus *vitiorum ac ignorantiae domicilium* appellare non dubitaverit.

§. CXXXIII.

Cardinalis Cusani extrema.

Eodem quoque anno obiit Nicolaus de Cusa Cardinalis, sic dictus a patria, quam in Vico Cusæ apud Mosellam fluvium in Dioecesi Trevirensi sortitus est; Patrem habuit pauperem quemdam piscatorem; ast generis obscuritatem multis, iisque maximis virtutibus, ac meritis, quorum suffragio ad supremas Ecclesiæ dignitates evehctus est, plurimum collustravit. Onuphrius quidem, qui vitas Pontificum conscripsit, necnon Penettus Abbas, historiæ tripartitæ Auctor, & Hyppolitus Maraccius, cui debemus Bibliothecam Marianam, seu collectionem illorum, qui de Beatissima Virgine scripserunt, uno ore testantur, quod
hic

*Onuphr.
Platin. Cia-
con. in vit.
Pontif.*

hic Cardinalis fuerit Canonice Regularis, necnon Præpositus Monasterii Vartobergensis; imo Antonius Senensis & Alphonsus Fernandez adhuc gravius hallucinantur, dum eum FF. Prædicatorum Ordinis Alumnum fuisse, scribunt; exploratum enim habemus, quod Cusanus nulli unquam regulari, aut monastico instituto addictus vixerit, sed tractu temporis in Decanum S. Florentii Constantiensis & in Archidiaconum Leodiensem fuerit electus, postea vero Brixiae in Germania Episcopatum obtinuerit, ac tandem Cardinalis factus titulum S. Petri ad vincula adoptaverit. Vir erat inter ævi sui Doctores omnis generis scientiarum, præcipue Theologiæ, ac Jurisprudentiæ eminentia facile princeps; Hunc Eugenius IV. Cardinali Albergato, quem in Germaniam Legatum decreverat, adjunxit, ac postea ipsummet ibidem Nuntium Apostolicum nominavit. Tandem Nicolaus V., Eugenii Successor, ut tanti Viri merita remuneraretur, eundem inter Presbyteros Cardinales die vigesima quinta Decembris Anno millesimo quadringentesimo quadragesimo octavo annumeravit. Jam alibi mentionem fecimus de simultatibus Cusanum inter Sigismundum Austriacum, quem Pius II. anathemate perculit.

Sæcul. XV.
A C. 1464.

*Aubery. &
Duchef. hist.
Cardin.*

*Vid. supr.
lib. CXI.
S. 147. 148.
& seq.*



Sæcul. XV. Rursum in Germaniam Anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo legatus mittebatur, ut ibidem sacram militiam prædicaret; verum minus prospere eidem res successit; eoquod non pauci falsæ prudentiæ præceptis seducti, alii propriæ utilitatis studio absterriti auxilia adversus Turcas suppeditare renuerent. Ne tamen omnino sterilis maneret Legationis successus, Cardinalis Magdeburgi Synodum coegit, Monasteria ad primævam instituti sanctimoniam revocavit, jubilæum promulgavit, ac plurima pro Ecclesiastica disciplina admodum proficua condidit statuta. Demum vero regnante Callisto III. Romam reversus electioni Pii II. interfuit, ejusque jussu, cum interea Mantuam peteret, urbis Romanæ regimen suscepit. Idem, cum Basileensi Synodo interesset, Concilii potestatem Pontifice superiorem esse, acerrime propugnavit, hancque in rem tractatum *de Concordia Catholica* valde celebrem conscripsit. Obiit demum hoc anno Tuderti in Umbria die duodecima Augusti, ætatis vero anno sexagesimo tertio. Corpus ejus Romæ in Basilica S. Petri ad vincula, cujus Titulum habebat, sepultum fuit, cor autem illius delatum est ad S. Nicolai Xenodochium, quod ipse prope Cusæ Vicum erexit, & amplissima
Lati-

§. CXXXIV.

Cardinalis Cusani Scripta.

Cuncta ejus Scripta Anno millesimo quingentesimo sexagesimo quinto typis Basileæ impressa & tribus voluminibus hoc ordine digesta habentur. Complectitur tomus primus tractatus Theologicos de mysteriis, in quibus tamen antiquæ Metaphysices principia passim elucet. Habentur præterea tres libri *de docta Ignorantia* cum apologia ejusdem operis, duo libri *de conjecturis*, tractatus *de Filiatione Dei*, dialogus *de Genesi*, & *de Sapientia*, tractatus *de visione Dei*, *de ludo globi* libri duo, & dialogus *de Deo abscondito*. Tomus secundus continet exercitationes, tres libros de Concordia Catholica, Epistolas ad Bohemos, ac nonnullos alios controversiarum tractatus, in quibus eorum argumenta Theologica pertractat; inter hos præcipue numeratur tractatus de Alcorano, quem inscripsit: *cribrationem Alcorani*, præter alium cui titulus: *conjectura de novissimo die*. Tomus tertius comprehendit Opera Mathematica, Geometrica, & Astronomica. Usus est Cusanus scribendi methodo tersa ac fluida sine omni fuce, aut affectata orationis

Sæcul. XV. nis venustate. Erat orientalium lingua-
 A.C. 1464. rum peritia, historicarum rerum eruditio-
 ne, & acerrimi iudicii præstantia longe
 celeberrimus. Id unice eidem vitio ver-
 titur, quod in pluribus suis scriptis plus
 æquo *metaphysicis abstractionibus* indulserit.

§. CXXXV.

*Guilielmi de Vorilongo, & Theodori
 Lælii obitus.*

Ad hunc annum refertur etiam aliorum
 duorum Auctorum obitus, Guilielmi
 de Vorilongo, & Theodori Lælii. Ho-
 rum primus natione Flander, ac Ordinis
 FF. Minorum Alumnus erat, atque
 a summo Pontifice Pio II. Romam vo-
 cabatur, ut celebrem illam Franciscano-
 rum quæstionem *de Sanguine Christi sepa-
 rato* agitaret. Ibidem vivis ereptus, po-
 steris reliquit commentarium in quatuor
 libros sententiarum, & Synopsis quæ-
 stionum Theologicarum, quam inscripsit:
vade mecum. Alter erat Episcopus Fel-
 triensis, qui Cardinalis nominatus obiit.
 Ex ejus libris ad nos nil aliud pervenit,
 quam summis curis limata refutatio ap-
 pellationis Gregorii de Heimburg, &
 habetur in collectione librorum, quos
 idem Auctor de excommunicatione in
 Sigismundum Austriæ Ducem & præfa-
 tum Gregorium a Pio II. lata, edidit, ac
 Franco-

*Vide supra
 §. LXVIII.*

*Supr. §. CXI
 §. CLI. &
 seq.*

Francofordiae Anno millesimo sexcente-
 simo septimo typis excusi habentur, ut
 jam alibi meminimus.

§. CXXXVI.

*Legatio Ferdinandi Neapolitani
 Regis ad Papam.*

Ineunte anno millesimo quadringentesi-
 mo sexagesimo quinto Ferdinandi Nea-
 polis Regis Legati Romam advenerunt,
 & a Papa summis honoribus excepti, in
 Patrum Senatu die decima quinta Februa-
 rii celebrato auditi sunt. Hi præprimis
 hunc in modum perorabant; tempus ap-
 propinquat, intra quod nuptiæ inter Al-
 phonsum Regis nostri Filium, & Hyppoly-
 tam Francisci Sfortiæ Mediolanensis Du-
 cis Filiam celebrarentur, proin rogamus
 sanctitatem vestram, ut Sedis Apostolicæ
 Legatum eo mittere velit, qui sponfos
 solemnī precatione conjungeret. Deinde
 referebant, quod Mahometes II. Neapo-
 lim Legatum decrevisset, qui de victoria,
 qua hostes suos regno expulerat, Regi
 gratularetur, simulque si forte Rex Italo-
 rum Principum quemquam bello petere
 vellet, octingenta aureorum millia polli-
 ceretur, necnon eidem significaret, quod
 Mahometes Regis filio propriam suam
 Filiam nuptui tradere paratus esset, aut si
 forte ejusmodi connubio dispar Religionis

*Papiens. in
 Comment. 1.9*

M 3

ratio

Sæcul. XV. ratio obstaret, quamdam ex supremis
A.C. 1465. Ottomanici Imperii Ministris filiam offerret, quæ Christianorum sacris initiata ab ipsis Imperatoribus Græcis originem duceret; Insuper Mahometes dotis nomine ducenta aureorum millia, aut si opus esset, plura adhucdum spondebat. Hæc Regis Oratores Pontifici exponebant, addentes, Ferdinandum hac super re, inconsulta sua Sanctitate, nihil decidere voluisse, sed consilium ab ejus ore præstolari, illumque postea ad Mahometem Legatos missurum, qui ad singula responderent. His ita propositis Legati discesserunt; Papa vero Cardinalium sententias rogavit.

§. CXXXVII.

*Cardinales hac in re a Papa in
 Consilium adhibiti.*

*Spond. Con-
 tin. ann. ad
 ann. 1465.
 num. I.*

Ante omnes Bessarion Cardinalis Sacri Collegii Decanus his verbis sententiam suam edixit: præprimis futura Alphonsi, qui Ferdinandi Regis filius est, Sponsa, si Romam pertranseat, dignis Regiæ Majestatis honoribus excipiatur; circa Nuntium vero Apostolicum Neapolin mittendum censeo, vitanda esse ejusmodi novitatum exempla; periculosum enim est novam consuetudinem inducere,

ducere, aut rem ita agere, ut tractu tem-
 poris ultroneum hoc obsequium in ne-
 cessitatis legem degeneret; de cetero
 consultum mihi videtur, ut nunc ad talia
 solemnia legatus decernatur: an vero
 Cardinalis vel Episcopus ablegetur, ma-
 turiori adhuc consilio examinetur. Quod
 ad Mahometis promissa attinet, subjun-
 xit Bessarion: laudanda est Ferdinandi
 prudentia, eoquod in re adeo periculosa
 nihil decernere velit sine summi Ponti-
 ficis consilio, minime vero mihi probantur
 mutua horum Oratorum commercia;
 hæc enim legationes Mahometes stu-
 diose quærit, non ad Christianorum,
 quos perdere cuperet, sed ad suum tan-
 tummodo commodum; cum enim Fer-
 dinandum propter summam ejus poten-
 tiam, ac propter injurias irrogatas, nec-
 non tyrannicam in subditos suos impe-
 rium a vicinis Principibus, licet eadem
 fidei societate ei conjuncti essent, odio
 haberi haud ignarus sit, hinc Mahome-
 tes oblatae amicitiae obtentu Regis sub-
 ditos impedire tentat, ne a Principibus
 Christianis, quibuscum ipse foedus iniit,
 opem præstolari possent. Hactenus
 Cardinalis Papiensis relatio, quid vero
 Cardinales in hoc Senatu decreverint,
 non amplius exponit.

Sæcul. XV.

A.C. 1465.

Sæcul. XV.
A.C. 1465.

§. CXXXVIII.

*Cardinalibus Ferdinandi fœdus cum
Turcis minime probatum.*

Nihilominus vero satis simile est, ceteros Bessarionis sententiæ adhæsisse, decretumque, quod Ferdinandus ab ejusmodi Turcarum fœdere abstineret, nec fideret speciosis Mahometis pollicitationibus, sed potius arma eidem inferret pro rei Christianæ defensione, quam ille fallacibus hisce artibus subvertere machinaretur. Cum autem Fridericus Ferdinandi Filius, ac Alphonsi frater Romam veniret, indeque Mediolanum peteret, & Ducis Sfortiæ Filiam comitari vellet, ideo spectatissimi quique Romanæ urbis Proceres eidem obviam ibant, & Papa adventantem perhonorifice excepit, eique Rosam auream donavit, quam summi Pontifices quotannis sacrare, ac cuidam ex Principibus Christianis transmittere solent.

§. CXXXIX.

*Dissidia Pontificis cum Ferdinando
Neapolis Rege.*

Gobelin.
Comment.
Pii II. l. 2.
c. 11.

Quamquam Ferdinandus Romanæ Curia commotis valde intentus videretur, ac Pauli II. Pontificis summam in se

se benevolentiam merito extolleret, nihilominus simultatibus inter utrumque paulopost ansam præbuit sequens rerum vicissitudo. Jam a longo tempore Eversus Comes, vivum inhumanæ Tyrannidis simulacrum, Ecclesiæ ditiones crudelissime vexabat. Hic cum sub idem ferme tempus, quo Paulus II. creatus est Pontifex, ex hac vita migrasset, filii ejus vestigia Patris non modo sequebantur, sed illum etiam nequitia, ac crudelitate superabant. Misero hoc rerum statu commotus Pontifex, clanculum dispersas contraxit copias, ut in eos inopinate irrueret, transmisit quoque Ferdinandus utpote clientelari nomine Romanæ Ecclesiæ obstrictus, quasdam militum cohortes, quæ itidem in hac expeditione usui essent. Igitur Paulus hunc exercitum occultis itineribus in tyrannicos hosce filios immisit, eosque nil sibi metuentes obruit, atque intra quatuordecim dies perfecit, quod quatuor ejus Prædecessores, Eugenius, Nicolaus, Callistus, & Pius exequi non valuerunt. Ferdinandus tam promptæ ac secundæ victoriæ successum suis armis adscribebat, atque in tanti meriti præmium sibi superiorum annorum tributum, quod Romanæ Sedi pendere cogebatur, relaxari, illud vero, quod deinceps soluturus esset, diminui petiit; Pontifex econtra contendebat, quod Rex,

Sæcul. XV.
A.C. 1465.

Platin. in
Paul. II.

M 5

cum

Sæcul. XV. cum plurimis titulis Ecclesiæ Romane devinctus esset, in gratitudinis pensum amplio-rem adhuc summam numerare deberet. Hæc fuit origo contentionum, quæ longo admodum tempore Papam inter & Regem fervebant.

§. CXI.

Scanderbegus a Turcis cæsus.

Papiens. ep. 163. & seq. Paulus II. Scanderbegum, Albanie Regem, ut bellum adversus Turcas restauraret, fortiter animabat. Is enim quamvis antea per plusquam viginti annos pro Fide Christiana pugnasset, nunc tamen hortatu Venetorum & Archiepiscopi Dyrrachini cum Mahomete pacem inibat; cum autem necdum in eo Ecclesiam tuendi ardor deferbuisset, ipse suavis summi Pontificis incitatus, & promissi auxilii spe fretus pacis foedera rescidit. Enimvero prima belli molimina admodum felix excepit successus, fuis cæsisque a Scanderbego nonnullis Turcarum copiis. Mahometes vero violatam fidem acceptamque cladem indignatus, ipse exercitus sui imperium suscipit, in Albaniam irruit, & Crojam illius Metropolitim obsidione cingit, irritum tamen conatum, quare promptam urbis deditionem desperans, Constantinopolim reversus est, exer-

exercitum tamen suum nondum ab urbe Sæcul. XV.
revocavit. A.C. 1465.

§. CXLI.

*Urbs a Scanderbego obsidione
liberata.*

Scanderbegus in angustias redactus, Principum Christianorum suppetias implorat, Romamque ipse petit; inde reversus, multisque muneribus, ac pecuniis auctus, Crojam diuturna obsidione pressam vicinorum suorum auxiliis adjutus liberat. Ceterum Papa datis literis ineunte Mense Julio omnibus Christiani Orbis Principibus notum esse voluit, Scanderbegum fugere compulsam, totoque Principatu suo a Turcis fuisse exutum, proin Religionem Christianam in extremo discrimine luctari, ac Mahometem omnia quæque ferro & flamma devastare scribebat. Cum vero de ejusmodi clade altum sit apud Historicos silentium, conjectura (*) est, Papam eo fine

(*) *Injuriosa est summi Pontificis integritati ejusmodi conjectura, æquius inde conjicimus, quod multa desint in vitæ Scanderbegi commentariis, quæ ipse adversa tulit: cum enim historici in laudem ejus nimium effusi probentur, quæ ipsius gloriam minuere putabant, perperam omiserunt.*

Sæcul. XV. fine talia rescripsisse, ut Principes Christianos ad auxilia adversus Turcas ferenda literis, ac proprio suo exemplo incitaret; ipse enim quotannis centum aureorum millia Hungaris, totidemque Scanderbego subministrabat.

§. CXLII.

Alphonsus a Castellanis exauditorato Regi subrogatus.

Marian hist. Hisp l 23. c 9 Papiens. epist. 122. Interea Archiepiscopus Toletanus, qui rebellium Castellanorum partes sectabatur, Abulam contendit; ubi factiosi communi omnium consensu rem aggressi sunt æque ridiculam, ac temerariam. Quippe extra Abulæ mænia in quodam patenti campo amplum exstruunt theatrum, pretiosis aulæis prætextum; demum throno ad id recens erecto imponunt Henrici Castellæ Regis statuam regali chlamyde vestitam, quæ dextera sceptrum, in capite coronam gestabat, ceterisque omnibus Regiæ Majestatis insignibus ornata erat. Huic nefando spectaculo aderant Regni Proceres, & innumera ferme confluentis populi frequentia. Tandem alta præconis voce sententia a rebellibus in Henricum legitimum eorum Regem lata proclamatur, & prolixius cunctæ ejusdem injustitiæ, violentiæ, ac crimina recensentur, quibus eorum

eorum iudicio Rex durante suo Regimi-
ne sese obnoxium, ac coronæ indignum Sæcul. XV.
A.C. 1465.
reddiderat. Ad singula quoque senten-
tiæ capita, quæ a præcone ordine suo
publicabantur, sensim statua omnibus
regiis insignibus nudabatur, ac denique
penitus spoliata inter plurimas verborum
contumelias in præceps agebatur. In-
digni hujus spectaculi funesta dies erat
feria quarta, Junii quinta. Eo absoluto
Alphonfus juvenis Castellæ Infans huic
scænæ semper præsens, theatrum con-
scendit, atque procerum latera ejus sti-
pantium humeris sustentatus eidem, a
quo Henrici fratris sui statua in terram de-
jecta erat, folio imponitur, ac iisdem re-
giis ornamentis indutus, Castellæ Rex
salutatur. Tam atrox fuit hujus facino-
ris petulantia, ut Procerum non pauci,
abdicata rebellium factione, in obse-
quium Regis sui redirent. Hos inter
Garzias Toletanus Henrico in auxilium
cum quingentis lanceariis, ac cum mille
peditibus accurrit; ceteri vero rebellium
principes, cum suorum numerum sensim
imminui intelligerent, extremos adhi-
bendos esse conatus decernunt, ut Re-
gem caperent, ejusque nomine ac aucto-
ritate pro libitu suo abuti possent, prout
sub priori regimine Principes Arragoniæ
fecissent.

§. CXLIII.

Sæcul. XV.
A.C. 1465.

§. CXLIII.

Bellum a Conjuratis suscitatum.

*Sabellic. 10.
Enn. 6.*

Eo tempore foederati adversus Henricum, qui tum Madriti agebat, nihil inoliri audebant; præfatæ enim urbis incolæ Regem suum pro viribusuebantur. Cum ergo illi prodita semel eorum conjuratione, actum esse de sua salute, optime nossent, mature in armorum vi consilium esse quærendum judicabant. Ergo ad arma convolant, ac per omnia compita rumorem, & edicta spargunt, quibus Henricum corona exutum, nec alium præter Alphonsum esse Regem proclamant. Vicissim Henricus exercitum suum in aciem ducit, & comitantibus illis, qui in fide Regis perstiterant, obviam procedit fratri suo, illumque prope Ovetum offendit. Jamjam manus conferunt, tamque pertinaci, diuturnoque conflictu dimicant, ut ambo exercitus cum æquali utrinque dispendio, parique victoriæ emolumento ex acie recederent. Alphonsus tamen, necnon Placentiæ Comes, Archiepiscopus Hispalensis, & Villenæ Marchio, omnes præcipui rebellium Duces, sua vexilla Henrico Victori in spolium cedere compellebantur; vicissim vero foederati Regium eripiebant vexillum, hostiumque qua-

quadringentos capiebant, ac finito proe-
lio Segoviam suo subjiciebant imperio.

Sæcul. XV.

A.C. 1465.

§. CXLIV.

*Liga boni publici Principum
in Francia.*

Hoc anno in Galliis conjuratio, quam
ligam boni publici vocabant, in aper-
tum prorupit incendium, non sine in-
genti Ludovici Regis admiratione;
quamvis enim per quatuor omnino an-
nos clandestina adversus eum agitari-
entur consilia, Regnique Proceres conspira-
tionem maturare toto studio satagerent,
nihilominus Rex, elusa omni explorato-
rum solertia, nullo prorsus indicio rem
detegere poterat, nec quicquam prius
suspicabatur, quam spes remedii relicta
esset nulla. Tunc demum Galliarum
Rex, cum Britanniae Ducem opprimere
unice intentus esset, ineunte Mense Fe-
bruario copias suas ad Pictaviensem Pro-
vinciam præmittebat, mox vero ipse se-
quebatur, comitantibus eum Bituricum
Duce fratre suo, Renato Andegavensi,
& Cenomanensi Comite. Verum vix
apud Pictones advenerat, cum illico Bri-
tanniae Ducis Legati Tannegius Castel-
lius, & Romilleus Cefneliae Toparcha
Regem adeunt, atque ab eo perbenigne
excepti, cum summa animi demissione
spon-

Sæcul. XV. A. C. 1465. spondent, quod ipsorum Dux brevi Regiæ suæ Majestati plene satisfactorius esset. Hac legatione perfuncti, cum ingenti benevolentiae significatione valere jubebantur. Verum vix inde sexta leuca aberant, cum jamjam Bituricensem Ducem obvium haberent, quapropter unacum eo protinus versus Britanniam contendunt, ubi Dunensis Comes, necnon Loheacius Marefcallus, aliique Proceres jam antea convenerant. Re comperta, Rex haud parum ira commotus est, acerbior tamen longe doloris sensu percepit, ipsum quoque Borbonii Ducem defecisse, ac in toto Borboniensi agro seditionem conflasse. Idem etiam Regis æraria exspoliabat, ac Ludovicum Crusolium, Guilielmum de Ursinis, & Oriolam, quos sibi inimicos crediderat, comprehendi jubebat.

§. CXLV.

Carolesii Comitis Expeditio.

Memoir. Comminai lib. 1. cap. 2. Sub idem tempus nuntiatum est Regi, quod Carolesius Comes copias suas educeret, ac Burgundiæ Dux, quamvis hujus conspirationis certior factus esset, adeo non seditiosis resisteret, ut etiam filio suo spondisset, se ei, si forte discrimen subiret, centum armatorum millia submissurum. Præterea rumor erat,

erat, quod Carolefius quadringentis ca-
 taphractis, atque octingentis sagittariis
 stipatus, numerosum tormentorum, &
 curruum apparatus secum duceret, ac
 recta Lutetiam properaret, eo quod ibi-
 dem conditus ad conveniendum locus
 esset, & Bituricum, ac Britanniae Du-
 cum adventus expectaretur. Enimvero,
 ut nuntiabatur, res erat; quippe Carole-
 fius Comes primo in ditionem Camera-
 censem irrupit, ac Nobiles Crojos inde
 expulsos in Gallias fugere compulit, de-
 mum ulterioris victoriae cupidus, impe-
 rii curas exercitumque partiebatur, ac
 Burgundiae Notho negotium dabat, ut
 Picardiam cum parte copiarum invade-
 ret: Eo autem Royam, & Montem-de-
 siderii urbes occupante, Carolefius vix
 non Peronnam in suam redegisset pote-
 statem, nisi a Nivernensi Comite, qui
 sese eidem opponebat, ad Pontem S. Ma-
 xentii pedem referre compulsus fuisset.
 Adhuc tamen propitia eidem adspirabat
 fortuna; quippe regius Praetor, qui tum
 Gubernatoris absentis vices agebat, auro
 corruptus Burgundionibus transitus op-
 portunitatem concessit, ipsamque urbem
 tradidit. Cum vero hujus *ligae* praetex-
 tus, quibus suam seditionem honestare
 conabantur, praecipui essent, abolitio tri-
 butorum, populi ab ejusmodi oneribus
 exemptio, regiminis reformatio, ac deni-
 que

Saecul. XV.
 A.C. 1465.

Montdidier.

Hist. Eccles. Tom. XXIX. N

Secul. XV. que boni publici studium, hinc Carole-
A.C. 1465. fuis, ut sinceram suæ patriæ salutem
 procurandi voluntatem comprobaret,
 omnes exactionum tabulas comburi, &
 populo sal eodem, quo Regi constat, pre-
 tio emendum concedi præcepit.

§. CXLVI.

*Carolefius ad oppidum S. Dionysii
 pervenit.*

His ita dispositis, Carolefius cum suis
 copiis servato militari ordine usque
 ad oppidum S. Dionysii prope Lutetiam
 processit, ubi Bituricensem, ac Britan-
 num Duces ex condicto expectaverat;
 horum tamen cunctatione Comes subi-
 gendæ Parisiensis urbis occasionem ami-
 sit, quæ certe eidem in hoc temporis
 puncto sat opportuna accidisset, eoquod
 urbs omni ferme Regis præsidio destitu-
 ta, magno rebellium numero repleta esset.

Eo tempore Rex, Borbonii seditio-
 nem compressurus, in ejusdem ditione
 agebat, re tamen comperta mox Ca-
 rolum Melodunensem & Joannem Bal-
 vem Ebroicensem Episcopum Lutetiam
 Parisiorum decrevit, ut Parisienses in Re-
 gis fide firmarent, ac securitati urbis con-
 fulerent. Præterea Rex ubique jussa de-
 dit, ut cunctæ urbes, quæ Somonæ ad-
 jacent,

jacent, strenue propugnarentur, demum Sæcul. XV.
A.C. 1465
vero datis literis omnes Provincias de Principum seditione certiores reddidit, simulque subditos suos adhortatus est, ut contra illos arma capefferent. His ita dispositis Rex cum exercitu suo usque ad Pont de Cæ.
Pontem-Cæsaris progressus est, inde vero ad Bituricensem Ducatum penetravit, cum interea Renatus Andegavensis, & Cenomanensis Comes adversus Britonum incurfus Normanniam tuerentur. Jamjam Rex totum Bituricensem Ducatum suis subjecit armis, excepta Bituricum urbe, quam validissimo præsidio munitam Borbonii Nothus defendebat, ac propterea Regem, ne urbem cingeret, præpediebat. Quare Ludovicus pedem referens in Alverniam irrupit, ut Borbonii Ducem, qui relicta Molinii urbe Rionum confugerat, in obsequium revocaret.

§. CXLVII.

Pax Regem inter & Borbonii Ducem.

Ceterum Borbonii Ducissa, cum maritum suum Regi conciliandi studiosissima esset, eo rem perduxit, ut de pace reddenda ageretur: iis tamen legibus, ut Dux se arma positurum, ceterosque Principes ad pacem inducturum promitteret, fidemque daret, se, nisi illi æquis conditionibus acquiescerent, ab eorum foedere

Sæcul. XV. discessurum. Hos inter Nemorsius Dux
A.C. 1465. disertis verbis se Regi adhæsurum spon-
 dit, sed eo fidem fallente, Rex paulo-
 post ab illo dignas perfidiæ pœnas petiit,
 ac confestim foedere cum Burgundiæ
 Duce, firmato copias suas admovet, ut
 cives a rebellium impetu tueretur; ast
 vix iter aggrediebatur, cum Burgundus,
 Danmartini Comes, Dux Nemorsius,
 & Alanus Albretius datam fidem fal-
 lerent, ac collectis decem armatorum
 millibus denuo ad seditiosorum vexilla
 reverterentur. Sub idem quoque tem-
 pus Carolesius, cum ne quicquam Bitu-
 ricum ac Britanniae Ducum adventum
 præstolaretur, ulterioris moræ impatiens,
 Lutetiam invadere tentat, ac cum qui-
 busdam selectioris militiæ juvenibus us-
 que ad oppidum S. Lazari procurrit, il-
 lius munimenta expugnaturus; ast erum-
 pente magna globorum, flammæque tem-
 pestate pedem referre cogitur, nonnullis
 suorum desideratis. Nihilominus de ad-
 ventu Britanniae Ducis certior factus, se-
 quanam trajicit, pontemque S. Clodoaldi
 occupat, ac demum ad vicum, quem
 Longum Gemellum vocant, castra locat,
 primam vero aciem versus Montem-
 Leticum præmitit.

Montlhery.

§. CXLVIII.

§. CXLVIII.

Sæcul. XV.
A.C. 1465.*Congressus utriusque exercitus.*

Rex, qui tum Aureliæ agebat, re intellecta Comitem, priusquam Britannæ Duci suas vires jungeret, recta agredi, ejusque copias fundere statuit, sed mutato paulo post consilio, Lutetiam se conferre consultius fore censuit. Nec tamen prælii discrimen effugere poterat; Brezæus enim Senescallus, cum omnino cum hoste dimicandum contenderet, viæ duces ita delusit, ut Rex licet invitus Carnutum usque abduceretur, quod est oppidum uno lapide a Monte-Leterico distans, ubi Comes S. Pauli cum quadam Burgundionum phalange castra metabatur.

§. CXLIX.

Prælium Montis-Leterici.

Inopinatus iste concursus utriusque exercitus Duces haud parum attonitos reddidit, eoquod ad prælii necessitatem rem esse deductam cernerent. Comes S. Pauli, cum castra sua movere haud amplius integrum haberet, quin vel suos cladis periculo exponeret, vel saltem ipse ignaviæ calumniam incurreret, ad Carolesium Comitem, qui in aperto Longigemelli campo castra posuerat, quos-

Sæcul. XV. dam ablegat, qui eum de rerum statu
A.C. 1465. edocerent, rogarentque, ut rupta omni
mora cum suis quoque copiis accederet.

Ergo Carolesius unacum Burgundiæ No-
tho quantocius advolat, ac die vigesima
septima Mensis Julii juxta Comminæum,
matutino tempore circa septimam diei
horam ad Montem-Letericum pervenit.
Nec diu otiosa fietit instructa utrinque
acies, bellatorum animis impigre ad pu-
gnam paratis. Regis copiæ prope ar-
cem Montis-Leterici castra ingenti se-
pimento, fossisque munita tenebant.

Commin. Equidem Sagittarii Comitum Carolesii tu-
tih. I. cap. 3. multuario licet ordine in occursum Re-
Oliv. l. I. c. 35 gis pedestres ibant, omnesque illius co-
Gaguin. l. 10 piæ jamjam prælio implicitæ erant, cum
Monstrelet. tamen primæ regii equitatus legiones vix
Vol. 3. in aciem prodire cœpissent: Hæ tamen
tanta ferocia in dextrum cornu Burgun-
dionum irruerunt, ut eos penitus profligarent.
Ast Comes S. Pauli validis munitionibus cinctus, tam horrendam flammæ, globorumque tempestatem in Equites Gallos effudit, ut plurimis eorum misere trucidatis, ipse Rex non leve vitæ discrimen subiret. Nec segnior erat Carolesii Comitum pugnandi ardor, vincendique aviditas, qua sinistrum Regii exercitus cornu strenue adoriebatur, successu licet minus prospero; quippe cum longius, incautiusque hostem insequeretur,

tur, ac duntaxat suorum paucissimis sti-
 patus esset, propemodum captus fuisset, Sæcul. XV.
A.C. 1465.
 nisi eum Lontajensis Dynasta e proelio
 pedem referre amica vi compulisset.

Comes cum ad Montem-Letericum
 rediret, haud parum attonitus hæsit, eo-
 quod antea dissipatas Sagittariorum, qui
 Regis præsidarii erant, cohortes denuo
 collectas cerneret, & ipse nonnisi cen-
 tum Equitum manipulo munitus esset,
 ceteris Gallorum pedites insequendi ar-
 dore avulsis. Equidem Carolesio hostem
 declinare in animo erat: ast Sagittario-
 rum quindecim vel viginti derepente in
 eum irruunt, ejus scutarium Nobilem,
 quem Comminæus Philippum de Organo
 appellat, trucidant, ipsumque Comitem
 plurimis vulneribus afficiunt, ac præci-
 pue ejusdem jugulum gladio tam alte
 transfigunt, ut vulneris vestigium longo
 post tempore permaneret. Non deerant,
 qui periculi contemptu improvide dimi-
 cantem retrahere conabantur, identidem
 acclamantes: victoribus cederet, nec vi-
 tam improba cæde prodigeret.

§. CL.

*Carolesius propemodum ab hoste
 captus.*

Ast ille cedere nescius, pugnare non de-
 N 4 stitit

Sæcl. XV. **A.C. 1465.** stitit, suamque salutem, quam hostis cle-
 mentia adscribere erubescerat, non nisi
 fortitudini debebat Joannis Cadeti, qui
 cujusdam Parisiensis Medici filius eidem
 proximus aderat; Hic enim generoso
 vectus equo, in medios hostium cuneos,
 qui jamjam Comitem secum abducere
 parabant, irruit, eundemque e manibus
 eorum eripit. Discessum igitur e præ-
 lio est, æquata utrinque, ut verum fa-
 teamur, tam Victoriæ gloria, quam de-
 victorum jactura; quippe hinc sinistrum
 Regis, illinc dextrum Carolesii Comitis
 cornu toto impetu scissum adeo tumul-
 tuaria fuga excessit, ut quidam utrius-
 que exercitus fugitivi velocissimo equo-
 rum cursu per integrum biduum avola-
 rent, & omnis cibi oblit, nequi-
 dem retrospicere ausi fuerint. Tanta
 utrinque erat animi trepidatio, ut tam
 Regis quam Comitis milites se prælio
 devictos fuisse crederent. Die ad vespe-
 ram inclinante Rex equitando fessus, ad
 castrum Montis - Leterici deductus est,
 comitante eum Scotorum præsidario-
 rum cohorte. Suspiciabantur Galli Re-
 gem, cum diutius absens esset, abs dubio
 promiscua cæde oppressum fuisse; Pari-
 ter Comes Cenomanensis, & Montis Al-
 bani Dynasta cum octingentis Lancea-
 riis vitæ suæ fuga consuluerunt.

§. CLI.

Sæcul. XV.
A. C. 1465.*Rex dirempto prælio motisque castris
Corbolium profugus.*

Comes Carolesius, imminuto suorum numero, ad iteratum prælium, quod altera die sibi impendere timuit, viribus sese imparem esse cernebat; quocirca diu suspensus hæsit, an in iisdem castris novos hostium insultus expectaret, vel inde recederet. Censuit Contaiensis Dynasta, quod albescente coelo iterum Gallis obviam eundum esset: ast nuntiatum brevi, Regem vasa collegisse, ac Corbolium recessisse. Carolesius percepta hac Regis fuga ingenti gaudio afficiebatur, sibi que, cum hostem castris exuisset, victoriæ gloriam adscribebat, quæ tamen exiguo prorsus impendio stetit, occisis tantummodo ex utraque parte tribus circiter millibus. Brezæus Senescallus, qui invitum quoque Regem ad ineundam pugnam impulerat, inter primos occubuit. Hic ipse quondam Regi venationi intento, ac parvo equo insidenti dixerat, hunc equum, licet corpore infirmum, ceteros tamen omnes totius Regni equos viribus longe superare; cum Regem simul ac totum ejus Senatuum dorso suo sustineret: liberiori hoc joco Regem redarguebat, eo-

N 5

quod

Sæcul. XV. quod proprii sui arbitrii mancipium, in
A.C. 1465. gravissimis Regni negotiis nullius con-
 filium expeteret.

§. CLII.

*Bituricensis, & Britannicæ Ducum
 apud Stampas congressus.*

Paucis post prælium diebus delatum
 est nuntium, quod Britannicæ Dux u-
 nacum Bituricum Duce, & Dunensi Co-
 mite Stampas appropinquaret, eosque
 comitarentur Cabannius, Loheacius, Bec-
 cillius, & Calvimontius, ejusque Filius
 Carolus Ambaciensis, præter sex millia
 Nobilium, qui omnes animi fortitudine,
 corporisque proceritate longe præstan-
 tissimi erant. Re intellecta Carolesius
 rupta omni cunctatione eo se contulit,
 horum adventum præstolaturus. Illis
 igitur eo venientibus, deliberatum est de
 expeditione, quæ selectis adeo copiis
 committeretur. Cum vero Carolesius
 Comes probe cognosceret, quod Bituri-
 cum Ducem foederi nomen dedisse poe-
 niteret: hinc eo ex tempore foedus cum
 Anglis inire, eosque denuo in Franciam
 advocare statuit. Hac super re consul-
 tatione facta decretum est, ut recta Lu-
 tetiam Parisiorum exercitus contende-
 ret, ac Vastiniensem Provinciam transi-
 ret; cum vero Gamachius Marecallus
 Sancti

Sancti Clodoaldi pontem denuo occupasset, Foederati alium Sequanae fluvio prope Mauretum imposuerunt. Adhuc dum hae copiae iter prosequerentur, cum sese illis jungeret Calabriae Dux, qui novas ex Burgundia suppetias adduxit, inter quas quingenti pedites Helvetii numerabantur. Hi primi omnium ex hac Natione in Gallis mercede conducti viserentur. Foederati his copiis aucti Carentonii pontem vi occupant, ibidemque Carolesius & Calabriae Dux castra ponunt, suasque copias usque ad Confluentiae limites explicant: Bituricum vero ac Britanniae Duces ad oppidum S. Mauri suas stationes tenebant; ceteris jamjam ad urbem S. Dionysii praemissis.

Sæcul. XV.
A. C. 1465.

Moret

§. CLIII.

Rex Lutetiam reversus.

Post hæc Principes foederati missis ad Parisienses fecialibus eos tam metu armorum, quam promissorum amplitudine ad deditorem sollicitant. Hi vero nomine Bituricensis Ducis Viros ex Clero, Senatu, Academia, & Civium ordine magis spectabiles ad Regem ablegant, qui ab eo peterent, ut convocato Ordinum Senatu juberet, quatenus Principes exiguo comitatu stipati urbem ingredi possent,

Sæcul. XV. possent, eisque pro numeratis pecuniis
 A. C. 1465. annona suppeditaretur. Rex percepta hu-
 jus legationis summa Rothomago, ubi
 tum agebat, discessit, ruptaque omni mo-
 ra Lutetiam venire contendit; Ingredie-
 batur urbem die vigesima octava Augu-
 sti, opportuna sane festinatione usus; si
 enim unius bidui moram traxisset, ad-
 missis jamjam ad urbem Principibus, se
 accessu exclusum ingemuisset. Vix ur-
 bem ingressus, ab omnibus, qui Prin-
 cipum arbitrio nimia facilitate deservie-
 bant, debitas poposcit pœnas. Præter-
 ea Guilielmo Charterio Parisiensi Epis-
 copo vehementer indignabatur, eoquod
 hujus legationis provinciam in se suscipe-
 re non dubitasset; quosdam vero alios suis
 dignitatibus exuit, & quinque eorum
 exilio multavit, hos inter numeraba-
 tur Parochus Antisiodorensis S. Germa-
 ni, nomine Joannes Lullierus, & Joan-
 nes Chuartius regius civilium causarum
 Judex. Tanta Regis in puniendo leni-
 tas magnis celebrabatur encomiis.

§. CLIV.

*Confederati carduos pro lanceis
 habent.*

Interea temporis Principum foederato-
 rum exercitus indies numero, & ani-
 mo plurimum augebatur; Nemorsius e-
 nim

nim Dux, Comes Armeniacus, & Albrechtus cum sex Equitum millibus eisdem sese adjunxerant. Nihilominus, Cominæo teste, ad omnes Regii agminis motus adeo contremiscebant, ut nonnulli Equites, cum favente densissima caligine itinera versus Parisiensem urbem explorarent, ad castra reduces nuntiarent, se vidisse totum Regis exercitum in acies instructum, innumerasque lanceariorum copias; ad hunc rumorem communis erat foederatorum trepidatio, confestimque omnes ad arma clamare, urbique propius accedere. Ast caligine discussa deprehendebant, quod fictitii lancearii, quos foederati Equites exploraverant, non nisi prominentes essent cardui. Ea res risu accepta, cachinis, sibilisque explosa est, omnesque ob annilis illusionis contumeliam pudore suffusi ad castra rediere.

§. CLV.

*Congressus Confluentinus Regem inter
& Carolesium Comitem.*

Ceterum de pace agi cæptum est, & quamvis utraque pars ad pugandum obfirmatos ostenderet animos; nihilominus tamen neutra conditiones pacis averfari credebatur. Nam Regem anxiiis curis divexabant clandestina foedera-

Sæcul. XV.
A.C. 1465.

Sæcul. XV.
A. C. 1465.

*Grange aux
Merciers*

*Commin. lib.
I. cap. 12.*

deratorum Principum consilia, quæ identidem in Parisiensi urbe fovebant. Ex adverso Fœderatorum exercitus annonæ ac commeatus penuria laborabat, præcipue vero equis pabulum deficiebat. Cum igitur fatalis utrinque rerum status concordiam suaderet, conclusum est, ut die tertia Septembris in loco, quem *villam ad propalas* vocant, per utriusque partis Deputatos congressus celebraretur. Huic nomine Regis interfuit cum Cenomansensi etiam S. Pauli Comes; qui, cum conditiones nimium duras præscriberet, Regi præplacuit, quod ipsemet Carolesius Comes, nullo interprete adhibito, consilia conferret. Rex igitur Confluentiam venit, ac Comitem adiit, nonnisi quatuor aut forte quinque nobilibus stipatus. Jamjam Carolesius & S. Pauli Comes, ad oram fluminis Regiam suam Majestatem excepturi obviam processerant, eumque primi officiosa salutatione venerantur: postea colloquio Ludovicus XI, initium dabat. Præprimis Carolesio, quem Sororium appellavit, cum primis nuptiis Sorori Regis desponsatus esset, summa animi moderatione exprobravit, quæ olim Insulis ad Morvillerium Cancellarium liberius dixisset: His præmissis tandem ad concordie summam ventum est. Postulabat Carolesius, Bituricensi Duci Normanniam, sibi vero Picardie Urbes

Urbes ad Somonam fluvium sitas tradi ; Sæcul. XV.
 pluraque alia cuivis ex foederatis Prin- A. C. 1465.
 cipibus relinqui petebat. Verum Rex
 Normanniam fratri suo in hæreditatis
 portionem cedere noluit, unde nonnisi
 Carolesio Comiti oppida, quæ Somonæ
 adjacent, Comiti vero S. Pauli Connesta-
 bilis dignitatem adjudicavit. His ita
 compositis nec pacis colloquia interrump-
 ebantur, nec bellandi ferocia cessabat.

§. CLVI.

Rothomagum a Burgundo captum.

Borbonii Dux repulsam, qua Rex fratri
 suo Normanniam denegavit, ægerri-
 me ferebat, unde Rothomagum subigere
 animo constituit. Tota hæc Provincia,
 ut olim Britannia felici cujusdam Ducis
 imperio parere exoptabat, spe freta, ex-
 cusso Regis jugo se omni felicitatum
 genere cumulatum iri. Ergo Borbonii *Commin. l. x.*
 Dux urbem ingreditur, nec vulgari com- *cap. 13.*
 munis lætitiæ significatione excipitur,
 ceteræque ferme omnes Normanniæ ur-
 bes pari jubilo sese Ducis obsequio ad-
 dicunt, cunctique earum incolæ, exce-
 ptis tribus vel quatuor urbium Primo-
 ribus, Borbonio Bituricensis Ducis no-
 mine sacramento fidem suam obstringunt.
 Ludovicus XI, ubi Rothomagenses se-
 ditionem movisse, & Pontisaram Bur-
 gundiæ

Sæcul. XV. A.C. 1465. gundiæ Duci restitutam fuisse comperit, serio ad firmandam pacem animum adiecit, ac Carolesio Comiti significari iussit, sibi gratum, acceptumque fore ipsius adventum, atque colloquium, hancque in rem eidem tempus, locumque, quo convenirent, exponi fecit; præfigebatur autem campus quidam Confluentiæ vicinus.

§. CLVII.

Alterum Regis cum Carolesio colloquium.

Eo se contulit Rex nonnisi præfidiariis Scotorum copiis stipatus; nec magis frequens erat Carolesii comitatus. His advenientibus, Rex pacem esse confectam, & Rothomagenes defecisse, Comiti hujus rei adhucdum ignaro aperuit, additque hæc verba: ut fratri meo Normannia cedatur, id nunquam ultro concessissem, postquam vero jamjam a Normannis Dux salutatus est, id pace mea fiat, ipsusque pactis modo, quo inita fuere, subscribam. Hoc verbum Regis summo animi jubilo excipit Carolesius Comes, ac continuo cum Rege collocutus, licet nonnisi quingentis suorum stipatus esset, incautior progreditur usque ad quoddam propugnaculum urbi proximum. Tandem vero periculum, in quod temere se conje-

corjecisset, agnovit; nullo enim negotio Sæcul. XV.
 a Rege captivus abstrahi potuisset, nihi- A.C. 1465.
 lominus nec vultu nec mente concidens,
 discriminis timorem suppressere, quan-
 tum valuit, conatus est. Rex quoque
 habita honoris, ac reverentiæ ratione,
 hac sese vindicandi occasione adeo op-
 portuna uti noluit.

§. CLVIII.

*Pacis conditiones Regem inter &
 Carolesii Comitem.*

Ad eam rerum summam ventum est, Bellefort.
 ut nil nisi pacem mutuo consensu, ac lib. cap. 124.
 appposito sigillo firmare reliquum esset. I-
 gitur die quinta Octobris apud Confluen-
 tiam Regem inter & Carolesii Comi-
 tem sancitum, ut ille oppida ad Somo-
 nam fluvium sita haberet, ea tamen non-
 nisi post suam, sui que Patris mortem du-
 centis aureorum millibus redimi pos-
 sent, præterea Guineæ, Bononiæ, & Pon-
 tivii Comitatus possideret, & Comes
 S. Pauli, quocum Carolesius arcana &
 occulta omnia communicabat, Conne-
 stabilis dignitate augetetur. Hi articuli
 nonnisi Carolesium concernebant.

Aliæ vero concordie leges firmatæ
 sunt die vigesima nona ejusdem Mensis
 in oppido S. Mauri ad fossas, cautumque
 ut Principibus foederatis pristina eorum
Histor. Eccles. Tom. XXIX. O bo-

Sæcul. XV.
A. C. 1465.

bona redderentur; Comes Dunensis in possessionem omnium suarum ditionum rediret; Antonius Chabannius Dammartini Comes munere dejectus, in integrum restitueretur, & Parlamenti sententia, qua capite damnatus erat, nulla ac irrita declararetur. Demum vi foederis Britanniae Dux præter expensas, quas in bello fecerat, Montfordiensem Comitatum recuperavit; Guilielmus Juvenalis Ursinus pristinae Cancellarii dignitati restitutus est, & Loheacius honorificum Marescalli Franciæ officium rursus obtinuit, denique Bituricum Dux in Normanniæ Ducatus possessionem immissus est. His utrinque firmatis Rex ipse Carolesium Comitem Villeriam usque, quæ est urbs quatuor leucis Lutetia distans, conduxit, singulis postea ad sua reversis. Præfatis concordiæ legibus adjectum est aliud pactum, quo decretum, ut triginta & sex Viri seligerentur negotiis gerendis idonei, nimirum duodecim ex unoquoque ordine, Cleri, Nobilitatis ac Plebis. Hi a die quinta decima Decembris integro bimestri suo fungerentur officio, ac saluti subditorum necnon bono publico opportunis mediis prospicerent. Hic tamen articulus effectu caruit.

§. CLIX.

Sæcul. XV.
A.C. 1465.*Leodiensium petulantia a Carolesio
castigata.*

His ita compositis Rex primas eo curas intendit, ut foederatos Principes mutuis diffidiis in partes scinderet; nec consilium eventus tractu temporis sefelit. Ceterum Carolesius Comes adversus Franciam foedus cum Anglis iniit, quod tamen Gallis haud funestum fuit; mala enim, quæ exinde timebantur, pacis Confluentinæ articulis, & domesticis Anglorum dissensionibus præpediebantur. Graviores longe tumultus suscitabat illud pactum, quod Ludovicus XI. Mense Julio, maxime ingravescente belli furore, cum Leodiensibus sanxerat: Hi enim Brabantiam, & Namurcensem Comitatum infestis armis invaserant, ac cum Ducis Burgundiæ copiis prælio decertarunt, infausto tamen Marte; quippe quatuor suorum millia fuere cæsa; illidem ad falsum rumorem, quo Carolesius Comes mortuus dicebatur, illum in Montis-Leterici prælio occubuisse credebant, proin ipsius effigiem patibulo affigere, atque atrocibus convitiis, contumeliisque laceffere non dubitabant. Comes finito cum Gallis bello acceptas a Leodiensibus injurias ulcisci animo statuit,

Commin. lib.
2. c. 1.
Suffrid.
Petr. in gest.
Pontif.
Leod.
Monstrelet.
vol 3.
Meirr. l. 16.

Sæcul. XV A.C. 1465. tuit, quapropter in eorum ditionem cum valido viginti octo millium Equitum, nec minoris numeri peditum exercitu irruit, Dinandum urbem obsidione cinxit, ac demum vi expugnatam comburi iussit, civium octingentis in Mosa flumine submersis, ceteris ad extremas calamitates redactis. Accurrunt Leodienfes in auxilium urbis; cum vero ad conspectum incendii terrore perculsi, de salute sua conclamatum esse arbitrarentur, Burgundiæ Ducis clementiam implorant, ac illius interventu sibi a Comite Carolesio ejus filio delicti veniam impetrari precantur. Concessæ sunt eis unius anni induciæ, quas tamen iidem, licet fidei suæ trecentos obsides dare compulsi essent, paulo post violabant, unde Comitum iram in se acerbius provocarunt, qui etiam ab eis severissimas poenas poposcit.

§. CLX.

Normannia Bituricum Duci rursus a Rege ejus fratre erepta.

Ludovicus XI. concordiae leges cum Carolesio, atque Principibus non ita pridem sancitas servare parum anxius erat, sed potissimum recuperandæ Normanniæ cupidine stimulabatur, quocirca Burgundiæ Ducem, præcipuum foederatorum

ratorum caput, ad suas partes trahere Sæcul. XV.
 conatus est, valuitque successus; quip- A.C. 1465.
 pe Joannam filiam suam connubii foede-
 re junxit Ludovico præfati Ducis Filio,
 eidemque Gallicæ etiam classis Præfe-
 cturam pollicitus est, ac insuper totam
 ejus familiam gratis atque favoribus lon-
 ge amplissimis auxit; unde tanta dexte-
 ritate suis consiliis obsequentem redde-
 bat Burgundum, ut is, qui paulo ante omni
 contentione Bituricum Duci Norman-
 niam perpetuo jure assertam voluit, jam
 nullum non moveret lapidem, ut Duce
 expulso, rursus Regem intruderet; ad-
 juvit quoque consilii successum dissensio,
 quæ inter Principes fervebat. Hanc
 quoque Ludovicus Galliarum Rex
 in rem suam vertens, Aurelia disce-
 dit, ac cum suis copiis recto itinere in
 Normanniam contendit. Tum Borbo-
 nii Dux quantocius non modo palam Re-
 gis partibus accessit, sed etiam Ebroicum,
 & Vernonium urbes occupavit: sub i-
 dem tempus cum Carolus de Meloduno
 Nantolleti Dynasta interim Gisfortium ex- Nantouillet
 pugnaret, Rex Pontem-Arcuensem ur-
 bem obsidione primum cinctam, mox
 deditioe accipit. Demum Britannicæ
 Ducem aggreditur, eumque Cadomum
 venire jussum compellit, ut in quodam
 congressu urbes a se in Normannia infe-
 riori occupatas Escuno, qui postea Co-
 mes

Sæcul. XV. mes Convenensis salutabatur, velut se-
A. C. 1465. questri asservandas cederet; Eodem vi-
 ctoriæ cursu Rex Luparias in suam rede-
 git potestatem; Rothomagenses quoque,
 cum potissimas Normanniæ urbes Ludo-
 vici imperio parere comperissent; & ipsi
 ineunte anno sequenti deditioem fece-
 runt. Igitur Bituricum Dux, consilii &
 animi inops, pecuniis & amicis destitu-
 tus, salutis suæ fuga consuluit, veritus,
 ne in Regias manus incideret, ægre ta-
 men fortunæ beneficio in Britannia asy-
 lum invenit. Sic igitur Normannia non-
 nisi unico bimestri a Duce suo regebatur,
 eo autem expulso plurimi juxta, ac præ-
 cipui Provinciæ Viri seditionis in legi-
 tum eorum Principem motæ culpam
 capitis poena luebant.

§. CLXI.

*Henricus Rex alieno habitu in Angliam
 reversus, captusque.*

Continui, qui Angliam misere in partes
 scindebant, factionum tumultus me-
 tum malorum, quæ ex Principum con-
 juratione Gallis impendebant, potissimum
 dissipabant. Infelix enim Henricus Rex
 Scotiam, ubi vitæ suæ securitati prospe-
 cturus confugerat, iniquo prorsus consi-
 lio reliquit, atque Angliam sub aliena ve-
 ste ignotus repetiit, cum interim Regina
 ejus

ejus conjux suppetias, quarum ope regno restitui posset, a Gallis impensius sollicitaret. Equidem pia Henrici erat voluntas, ut fautores suos summe afflictos præsentia sua erigeret, pristinam subditorum suorum fidem resuscitaret, ac demum opportunitatem rerum ac temporis in rem suam verteret; ast incautius reditus sui consilia manifestabat ejusmodi Viris, quibus Regem suum prodere solemne erat; quapropter ipse animi sui levitatem propriæ libertatis dispendio; Dux vero Sommersetus capitis poena lue-re cogebantur.

Henricus enim vix salutatis regni finibus, ab Anglis cognitus capitur, & pedibus subtus equum colligatis Londinum delatus Turri includitur, ejusque Amici innumeris ferme periculis ægre admodum vitam suam redimentes, regno excedere compelluntur. Lancastrienses quoque per vicinas Regiones dispersi errabant, & testatur Philippus Commi-næus, se vidisse quemdam hujus factionis nobilissimum, qui nudis pedibus panem suum miserandum in modum ostium emendicabat, donec tandem a suis recognitus exigua pensione juvaretur; eodem quoque tenui subsidio vitam traherent Ducis Sommerseti duo Filii, postquam generis sui conditionem, nomenque manifestarunt.

Sæcul. XV.
A.C. 1465.

§. CLXII.

*Turbæ inter Eduardum Regem, &
Varvicensem Comitem.*

Nunquam extremæ ruinæ Lancastriensis Familia erat proximior, quam eo ipso tempore, quo conclamata credebantur omnia, & domi forisque nil ultra humanæ spei, opisque reliquum videbatur; nihilominus salutem auxiliumve invenit in eo, qui olim omnium atrocissimus ejus inimicus, jam miro fortunæ lusu illius tutor, atque patronus evasit. Is erat celebris ille Varvicensis Comes, qui cum Eduardo similtates habebat. Agebatur enim de futuro Regis connubio, cum vero Eduardus inter plures sibi oblatas Principes unice in Bonnam de Sabaudia Carolinæ Galliarum Reginæ sororem suos conjiceret oculos, Varvicensi Comiti datum est negotium, ut Franciam peteret, hasque nuptias conciliaret: Neque defuit Comitis dexteritati eventus optati prosperitas; quamvis enim Margarita de Andegavia Henrici conjux obstreperet, rem tamen eo deduxit Comes, ut nil reliquum esset, quam ut reditum expectaret Legati, quem Ludovicus ad Eduardum, ut nuptialibus tabulis subscriberet, in Angliam miserat. Sed ecce! inopinatus in Franciam defer-

tur

tur nuntius, quod recens electus Angliæ ^{Sæcul. XV.}
 Rex jamjam connubio junctus esset, ac ^{A.C. 1465.}
 quamdam Nobilem duxisset viduam,
 quæ quondam conjux erat Joannis E-
 quitis de Gray, qui Henrici VI. vexilla
 sequebatur, atque altero ad S. Alba-
 num prælio occubuit. Hanc foeminam
 Eduardus venationibus intentus, haud
 procul a Grafonia urbe in ejus palatio
 invisit, tamque immoderato amoris æstu
 illam deperit, ut eam thori sociam seli-
 geret, quamvis ipsa aliis procis jamjam
 fidem suam obligasset, & Eboracensis
 Ducissa ejusdem Mater, ut filium suum ab
 ejusmodi nuptiis absterreret, nil inten-
 tatum relinqueret. Verbo: contrahitur
 matrimonium, nec ullæ, quas negotii
 gravitas deposcebat, solemnitates præter-
 mittuntur. Fremebat equidem totum
 Angliæ Regnum, nemini tamen hoc con-
 nubium magis molestum acciderat, quam
 Varvicensi Comiti; haud enim obscure
 cognovit, quod Rex ei illudere, illumque
 totius Europæ ludibrio exponere volue-
 rit, eoquod Regii Sanguinis Principem
 in Sponsam peteret pro Rege suo, qui
 tamen jamjam privatam quamdam foe-
 minam duxisset. Hæc prima fuere Re-
 gem inter & Comitem discordiarum se-
 mina, quæ nonnisi anno sequenti in gra-
 vissimas turbas aperte erumpebant.

Sæcul. XV.
A.C. 1465.

§. CLXIII.

*Censuræ Theologiæ Facultatis
Parisiensis.*

*Argentre
collect. jud.
tom. I. p. 255.
Hist. Univ.
Paris. tom 5.
p. 678.*

Hoc anno Theologica Parisiensis Facultas tres propositiones quibusdam Deputatis maturo examine discutiendas tradidit. Has quidam Physices Auditor Parisiis in Vico stramineo propugnabat: Erant autem sequentes: I. *Omnis homo est infinitas hominum, & hæc hominum infinitas non nisi eandem habet animam.* Hanc propositionem tanquam erroneam in fide, Symbolo, sacris literis, & Ecclesiæ doctrinæ contrariam, pias aures offendentem, & multis titulis scandalosam Doctores damnarunt, simulque declararunt, quod quicumque eam pertinaciter teneret, aut doceret, hæreticus censendus esset. II. *Nullus homo unquam corrumpitur, quamvis nonnunquam corrumpi debet.* Hanc denuo in fide erroneam, sacræ Scripturæ, sensui communi, ac sanæ rationi oppositam proscripserunt, dixeruntque, eum tanquam hæreticum esse rejiciendum, qui eam cum pertinacia defenderet, aut doceret. III. *Quælibet pars hominis est homo.* Hæc assertio falsa est, scandalosa, a communi sacræ Scripturæ loquendi modo aliena, & noxiorum errorum inductiva, ac proin nec tenenda, nec

nec tradenda. Postquam igitur has pro-
 positiones Facultas hac censura die duo-
 decimo Martii notaverat, ceteras quoque,
 quæ ad fidem non pertinent, Universita-
 tis iudicio reliquit, ut easdem debitis
 censuris perstringeret.

Sæcul. XV.

A.C. 1465.

§. CLXIV.

*Beatus Andreas Chiensis a Turcis
 Martyrio affectus.*

Eodem hoc anno Turcæ longo, ac cru-
 deli martyrio Beatum Andream ex In-
 sula Chio ortum peremerunt, eo quod ejus
 fidem atque constantiam promissionibus,
 minis & atrocissimis tormentis frustra
 tentatam expugnare non possent. Geor-
 gius Trapezuntinus, qui martyrium An-
 dreæ describendum suscepit, apud Su-
 rium ad diem vigesimam nonam Maji re-
 fert, quod sensim ferro singulis diebus a-
 liquæ carnis partes ex ejus corpore fue-
 rint decerptæ, ut poena quo diuturnior,
 eo severior esset, demum vero capite ob-
 truncatum obiisse idem testatur Maho-
 metes summam Andreæ in tormentis for-
 titudinem admiratus, corpus ejus ho-
 norifice sepeliri Christianis permisit, illud-
 que aliquot post annos humo effossum,
 sine ullius corruptionis vitio integrum
 repertum est.

*Spond. hoc
 anno num. 16*

*Surius ad
 diem 29.
 Maji.*

§. CLXV.

Sæcul. XV.
A.C. 1465.

§. CLXV.

Thomæ Palæologi obitus.

Turco-
Græc. lib. I.

Phranz. l. 3.
c. 28.

Sub idem tempus Thomas Palæologus Princeps die duodecima Maji obiit, annos natus quinquaginta sex. Is Romam venit Pio II. Pontifice adhuc regnante. Evocaverat e Corcyrensi Insula liberos suos Andream, & Manuelem, ac Sophiam filiam; Attamen iidem jamjam ad Anconitanum portum appulerant, cum ipse antequam eos amplecti posset, vivis ereptus esset. Nihilominus Pontifex Bessarioni Cardinali negotium dabat, ut orphanos hosce Principes Romam deduceret; idem vero Papa illis eandem pensionem, quam eorum Pater habebat, concessit, ac Andream primogenitum honoribus, atque officiis auxit, ut horum adminiculo pro status sui ratione honeste vivere posset. Manuel vero natu minor suorum familiarium suasu Roma Constantinopolim clam profugit, & a Mahomete liberaliter habitus est, moriensque duos filios superstites reliquit, quorum alter admodum juvenis decessit, alter Mahometis sectam adoptavit. Demetrius Thomæ frater, postquam varias fortunæ vicissitudines expertus, ac diu Mahometis vexationibus expositus erat, Adrianopoli Monachum, nomenque Davidis

vidis induit, & tandem circa annum Do-
 mini millesimum quadringentesimum se-
 ptuagesimum animam Deo reddidit. A.C. 1465.

§. CLXVI.

Laurentii Vallæ extrema.

Obiit item hoc anno Laurentius Valla *Voss. de hist.*
 ætatis suæ anno quinquagesimo. *Is latin.*
 erat Patricius Romanus, & Ecclesiæ *Paul. Jov.*
 S. Joannis ad Lateranum Canonicus, Vir *in elog. doct.*
 humanioribus literis clarus, atque lingua-
 rum peritia insignis. Nonnulla posteri-
 tati reliquit opuscula de religione, & præ-
 cipue *Baillet.*
Jud. Doct.
tom. 2. in 4.
 notas in novum testamentum, quæ, ut
 nihil dissimulem, potius Grammatices ve-
 nustatem, quam Theologiæ gravitatem
 redolent, nec tamen ad textus intelli-
 gentiam prorsus inutiles sunt; eas inve-
 nire est in magnis Angliæ criticis. Huic
 operi adjungere oportet alium tractatum
de fide donatione Constantini, quem Gro-
 tius in sua epitome recitat, denique tracta-
 tum de libero arbitrio, & sermonem de Eu-
 charistia scripsit. Anno millesimo quadrin-
 gentesimo quadragesimo Romæ agebat,
 atque apud omnes literatos summo in
 honore habebatur; inde vero tertio post
 anno profectus Neapolin venit, ut Al-
 phonsum V. Arragonum Regem latinæ
 eloquentiæ præceptis imbueret; Atta-
 men (si qua fides nonnullis Scriptoribus)
 ibidem

Sæcul. XV. A.C. 1465. ibidem ad Inquisitionis tribunal deferretur, & non nisi Regis Alphonsi interuentu atque auctoritate ægre rogi pœnam effugit, publicæ tamen fustigationis ignominiam subire compulsus est. Ceterum hujus commenti Architectus extitit Poggius Florentinus, qui Laurentio Vallæ infensus, eundem mordacibus oppido convitiis proscidit. Præterea rem hanc mere confictam esse, colligitur ex eo, quod Laurentius Romam redux annua pensione auctus publice literas docuerit. Visitur hodie in Ecclesia S. Joannis ad Lateranum quoddam Epitaphium, quod Catharina Laurentii Mater, ut fertur, erigi, ac marmoris hæc verba insculpi jussit: *Laurentius Valla Pontificis, Regisque Neapolitani Secretarius.* Verum dubia admodum est hujus inscriptionis fides.

§. CLXVII.

Henrici Kalteisen obitus.

Inter Scriptores hoc anno fati functos refertur quoque Henricus Kalteisen Confluentiæ natus, Ordinis FF. Prædicatorum Religiosus, ac Universitatis Coloniensis Theologus. Hic ad prædicandam sacram militiam adversus Bohemos Hussitas ab Eugenio IV. Papa selectus erat, ac Basileensi Synodo præsens acriter

ter confligit cum Udalrico Orphanorum Sæcul. XV.
 Sæctæ presbytero, qui Verbi divini præ- A.C. 1465.
 dicationem unicuique liberam, nec mis-
 sionem esse necessariam contendebat.
 Hunc Henricus oratione, quam ad ter-
 tiam diem protraxit, confutabat, invictis-
 que demonstrabat argumentis, quod a
 simplicibus Sacerdotibus, nisi vocati sint,
 nullatenus prædicationis officium assu-
 mendum esset. Postea Magister sacri
 Palatii Anno millesimo quadringentesimo
 quadragesimo renuntiatus, etiam Inqui-
 sitor hæreticæ pravitatis in Germania
 decretus est, & quinto post anno nimi-
 rum millesimo quadringentesimo qua-
 dragesimo quinto a Nicolao V. Archie-
 piscopus Nidrosiæ in Norvegia, & Cæ-
 sariensis nominatus, die tertia decima O-
 ctobris Anno millesimo quadringentesi-
 mo sexagesimo quinto animam efflavit.
 Oratio, quam in Concilio Basileensi di-
 xerat, in Collectione Patris Labbæi ha-
 betur. Trithemius testatur, ex Henrici
 calamo plures fluxisse sermones de tem-
 pore, de sanctis, & super *Magnificat*, nec
 non varias quæstiones, atque Collationes
 ad Clerum.

§. CLXVIII.

*Podiebracii Bohemiæ Regis pervi-
 cacia.*

Interea Podiebracius Bohemiæ Rex non Anno 1466.
 solum

*Collecti. Con-
 cil. P. Labb.
 tom. 2.
 Trithem. in
 Chron.
 Spanh. &
 de Script.
 Eccles.*

Sæcul. XV. solum Pauli Papæ lenitate, ac amplis, quibus eum cumulabat, gratiis atque favoribus ad meliorem frugem minime se recepit, sed etiam impietate crescens iustam in se summi Pontificis indignationem provocavit. Præcipuam vero illius causam paucis recensebimus. Erat Podiebracio suos inter Proceres quidam Princeps Catholicus nomine Zdenco, seu Stenco, religioni suæ addictissimus, ac præclaris meritis summe commendandus. Hunc nonnulli sive invidiæ stimulis, sive calumniandi libidine agitati gravissimorum criminum reum Podiebracio deferunt; Rex falsis ejusmodi criminatibus nimia facilitate fidem adhibebat, ac Virum aliunde sibi minus acceptum, ut persequeretur, occasionem datam lubens arripuit, eumque omnibus bonis exutum comprehendere statuit; quare Zarasten oppidum, ad quod confugerat Stenco, dura obsidione cinxit. Ille inter tot arcta prehensus, ut salutis suæ confuleret, effugiendi mediis anxie quæstitis, ac tandem feliciter inventis Romam venit, Pontificis opem imploraturus. Paulus oppressi causam in se suscipiens, literas eidem dedit ad Fridericum Imperatorem directas, simulque omnes, qui Zarasten obsidere pergerent, anathemate percellit.

§. CLXIX.

*Nuncius Papæ in caussa Bohemorum
ad Imperatorem.*

Sæcul. XV.

A.C. 1466

Re intellecta Podiebracius quoque ceterorum Regni Procerum nomine, quos sibi propensos habebat, Romam scribi curavit, & obsidionis causam in Stencornis crimina rejecit, ac insuper Legatum ad Imperatorem mitti postulavit, ut ab ipso de tota rei serie Cæsar edoceretur, eademque occasione, ut inquit Podiebracius, cum eodem Legato de Bohemia ad fidem orthodoxam revocanda agi posset. Pontifex fraudem Podiebracii animadvertens, jussa sua non revocavit, Rudolphum tamen Episcopum ad Imperatorem misit, eique negotium dedit, nequid cum Rege Bohemo aut ejusdem Ministris tractaret, priusquam obsidionem arcis Zorastenæ solutam cognovisset. Ast Podiebracius contemptis Papæ monitis Zarastenses annali obsidione arcte pressos demum ad deditonem compulit.

§. CLXX.

Seditio Bohemiæ Procerum in Podiebracium postea a Papa anathemate percussum.

Pontifex hanc Regis pertinaciam haud parum indignatus, confestim Rudolphum
Hist. Eccles. Tom. XXIX. P pho

Sæcul. XV.
A C 1466.

pho in mandatis dedit, ut singulos Germaniæ Principes adiret, eisque rem gestam exponeret, atque Pontificis nomine rogaret, ne impedimento essent, quo minus iudicium de Bohemiæ Rege captum redintegrari posset. Una omnium fuit responsio, scire Pontificem, quid sui officii esset, facturos se, quod probos deceret catholicos, non posse tamen se, donec Podiebracium Ecclesia hæreticum iudicasset, a fœderibus ejus discedere. Eodem tempore, omnes Regni Proceres Catholici, Stenconis exemplo territi, suum quoque exitium verebantur; hinc a Rege defeecerunt, ac sese Wratislaviensibus, aliisque, qui jam antea jugum ejus excusserant, junxerunt; cum vero iidem etiam Sacramenti, quod Podiebracio præstiterant, religione absolvi peterent, confestim a data fide liberati sunt. Demum dies, quo Romæ iudicio se sisteret, publico decreto Regi dictus est, ac Rudolpho mandatum, ut auxilia adversus eum conquireret, ac si opus esset, Cruciatam palam decerneret. Nihilominus Podiebracius Catholicos Proceres persequi non destitit, & ad diem conductam nec ipse comparuit, nec suos Romam ablegavit; Quare Pontifex, cum omnes Cardinales ceterique Antistites, & Doctores convocati consensissent, cunctaque ad ferendam sententiam necessaria de more fuissent præmissa

missa, Regem de perjurio, sacrilegio, ac Sæcul. XV.
 hæresi convictum declaravit, atque ad A C 1466.
 versus illum excommunicationis sententiam, quam eidem Papa jam a longo tempore minitabatur, pronuntiavit.

§. CLXXI.

Idem per Papæ sententiam regno privatus.

Ea nihilominus cura Papam haud parum sollicitum habebat, ut Virum in-
 veniret, qui excommunicationis decretum *Papiens. epist. 262.*
 executioni mandari curaret. Cæsar enim Podiebracium aperto Marte aggredi, foedusque cum eo initum rescindere detrectabat; Poloniæ ac Hungariæ Reges itidem Bohemum sibi infensum reddere timebant, cum aliunde domesticis belli tumultibus impliciti essent: Bohemis autem regni Proceribus non satis virium ad exequendam hanc sententiam erat: ceteri vero nimia loci distantia prohibebantur. Cum igitur Papa iudicium suum, nisi effectui daretur, ludibrio exponi pertimesceret, sententiam differre decrevit. Ast Cardinalis Carvajalus in quodam Patrum Senatu hac super re habito verba fecit: non sunt, inquit, omnia humanis judiciis metienda, in rebus arduis maxima spes in Dei auxilio reponenda; quod si nec Imperator, nec Polo-
 P 2 nus

Sæcul. XV.

A. C. 1466.

nus nec Hungarus Sanctitati suæ præsto erint, adjuvabit tamen Deus, qui de excelso caput impii conteret, modo nostris non desimus partibus, cetera abs dubio perficiet exercituum Dominus. Ad hæc verba omnium Cardinalium animi erigebantur, & ipse Pontifex peracto Sacro solemnni in die Natalis Domini thronum, qui ante summum Altare in Basilica S. Petri collocatus erat, conscendit, ac sententiam pronuntiavit, Regemque Bohemæ Regno, omnibusque honoribus tanquam hæreticum privavit: subditos vero ab obedientia, & juramenti Religione absolvit, ipsumque Regem, ejusque filios, totamque posteritatem ad consequendas quascunque dignitates inhabiles declaravit. Papiensis Cardinalis summis laudibus extollit Pontificis æquitatem, qua hanc sententiam ferebat: *Ministerium justitiæ, inquit, operati sumus. Justitiæ admiscuimus clementiam. Nulla solemnitas, nullus ordo, nulla expectatio est prætermissa. Rite peracta sunt omnia. In quadriennium a die, quo Reus citabatur, productum est judicium: non negligentia ulla nostra, sed certo semper consilio. Ter flagitante Cæsare, conversionemque ejus spondente, semel autem Principibus Germaniæ id ipsum petentibus, cursum damnationis suspendimus, majori semper favore, quam spe. Ea vero lege continuo promissa est suspensio, si inte-*

si interim ille fidelibus pacatis nihil noceret. Sæcul. XV.
A.C. 1466.

Indulgentia nostra contumaciter abusus est. Non quietem agens, non iis etiam parcens, quos propter institutum est iudicium. Per has moras sic eos nequiter habuit, sic dure afflixit, ut graves ad nos perferrentur querelæ. Pertulimus tamen patienter omnia, ac licet decepti, in eadem lenitate duravimus, ne aliquando in mali Regis iudicio, aut præcipites aut immisericordes existimari possemus. Ceterum progressu temporis hæc excommunicationis sententia in Regem lata tanti apud Proceres, & Regni status momenti fuit, ut Casimiro Poloniæ Rege Bohemiæ coronam recusante, Hungariæ Rex indicto bello Podiebracium armis infectatus fuerit.

§. CLXXII.

*Pax Polonos inter et Cruciferos
Porussicæ.*

Magis prospero successu legationem obivit idem Rudolphus ad Principes Germaniæ eo fine missus, ut concordiam Polonos inter & Porussicæ equites reduceret. Quippe post crudele bellum inter eos per quatuordecim annos gestum tandem die decima nona Octobris hujus anni pax utrinque confecta est. Rudolphus, cum ante omnes ad Poloniæ Regem hac de re scripsisset, misso ad

P 3

eum

Sæcul. XV
A.C. 1466.

eum Dlugoffo Regis Secretario significavit, pacem se non abnuere, dummodo ipse Legatus non imitaretur Hieronymum Cretensem Archiepiscopum, qui Regi suam operam pollicitus, cum ad Cruciferos tanquam pacis Angelus missus esset, ipse econtra ab ipsis calicis aurei dono corruptus belli flammam ultro resuscitavit. Rudolphus plenam fidem, atque integritatem spondit, & cum inter Fridericum Imperatorem, & Matthiam Hungariæ Regem invicem dissidentes pacem feliciter confecisset, in Poloniam venit, ubi summa fide, studioque concordiam diutinis votis exoptatam conclusit. Haud infimam huic negotio operam contulit Ludovicus Herlingshausen, tunc temporis magnus Cruciferos Magister, Vir moderatione animi longe spectatissimus.

§. CLXXIII.

Præcipuæ Pacis Leges.

Hujus pacis præcipui erant articuli
I. Tota Pomerania cum ceteris nonnullis Provinciis ad Polonos redibit, pro quibus recuperandis ipsi centum ferme & quinquaginta annorum bella gesserunt.
II. Ecclesia Culmensis Gesnensi Metropoli restituetur, quæ per annos circiter ducentos Rigenfi in Livonia subjecta erat.
III. Ma-

III. Magnus Poruffiæ Magister in fide & Sæcul. XV.
A.C.1466.
 clientela Regis Poloniæ erit. Pace re-
 stituta missi sunt utrinque Romam Ora-
 tores, qui debitas Sedi Apostolicæ refer-
 rent gratias pro sollicitudine, qua hæc
 dissidia composuit, atque inter populos
 tranquillitatem revocavit. Iisdem quo-
 que Legatis in mandatis datum, ut Ru-
 dolpho pro industriæ ac fidelitatis suæ
 meritis Cardinalitiam impetrarent pur-
 puram, quam tamen eum non adeptum esse
 constat, qua vero ex causa ignoratur.
 Nihilominus postea Wratislaviensis Epi-
 scopus renunciatus est.

§. CLXXIV.

*Francisci Sfortiæ Mediolanensium
 Ducis obitus.*

Hoc anno repentina morte vivis ereptus
 est Franciscus Sfortia Mediolanensis
 Dux ætatis suæ anno sexagesimo quinto.
 Primam lucem aspexit die vigesima tertia
 Julii, Anno Domini millesimo quadrin-
 gesimo primo. Princeps erat bello
 ac pace summus; viginti duo omnino
 prælia commisit, semper victor, nun-
 quam victus; Vir Religione, moderatio-
 ne, liberalitate, eloquentia, ac peritia mi-
 litari longe celeberrimus. Id tamen ei
 a nullis Scriptoribus vitio datum, quod
 in senectute sua mulierum amore de-
 ceptus

Sæcul. XV. ceptus, gloriæ suæ splendorem obfus-
 A.C. 1466. scasset.

§. CLXXV.

Galeatius Maria Filius ejus Successor.

Papiens. ep.
 173. 174. 188
 119. & seq.

Successorem habuit Galeatium Marianum Sfortiam filium suum primogenitum, viginti duorum annorum Juvenem: Hic tum in Gallia existens a Patre suo in auxilium Ludovici Regis XI. eo mittebatur, ac titulo Papiensis Comitis decoratus, comperta Patris sui morte continuo Mediolanum alieno habitu indutus rediit, & Ducatus sui possessionem accepit.

§. CLXXVI.

Mors Episcopi Santandreani Scotiæ Gubernatoris.

Buchanan.
Hist. Scot.
lib. 12.

Eodem hoc anno fati cessit in Scotia Episcopus Santandreanus, post cujus obitum ingentibus turbis regnum hoc agitata est. Antistes ille scholas publicas ad S. Andream maximis sumptibus ædificavit, sibi sepulcrum, quo & conditus est, magnifice extruit. Meritorum suorum suffragio, Jacobo IV. nondum per ætatem juris sui effecto, Scotiæ Administrator nominatus est, tantaque sapientia ac prudentia arduum hoc munus obibat, ut eo regni gubernacula moderante continuo pax floreret. Fratrem habuit

habuit uterinum nomine Patricium Sæcul. XVI. A.C. 1466.
 Graamum, quem præclaræ animi dotes dignissimum Sedis Santandreas successe-
 forem expetere videbantur, omnesque Ecclesiæ ac Regni saluti pie affecti eun-
 dem unicis votis exoptabant; quapropter etiam suffragante virtutum suarum
 excellentia huic Ecclesiæ suffectus est, sed malevolorum invidia frequentes per-
 pessus est adversitates, quas demum superaturus Romam adiit, & electionis
 suæ confirmationem efflagitavit, eamque facile a summo Pontifice Paulo II. obti-
 nuit, prævie meritorum fama commen-
 datus.

Interea vero Jacobus Kennethus Eboracensis Archiepiscopus nullum non movit lapidem, ut titulum Primatis Scotiæ, quem bellorum licentia sibi usurpaverat, etiam in pace retineret. Haud ægre Patricius ab omni ambitionis specie alienus hanc prærogativam Jacobo cessisset, nisi invitus eam acceptare a suis compulsus fuisset, ac ipse etiam summus Pontifex illum non modo Scotiæ Primatem declarasset, sed etiam Legationem ad restituendam Ecclesiæ disciplinam in Scotia eidem detulisset. Nec tamen, nisi Rege tutelam egresso, in Scotiam redire ausus est; verebatur enim, ne Regni Administratorum, quos sibi insensos noverat, potentia opprimeretur.

Sæcul. XV.
A. C. 1466.

§. CLXXVII.

Papa Henrici Castellæ Regis Fautor.

Alphonsus Infans, postquam Regni Castellæ Sceptrum per tam propudiosam factiosorum insolentiam, ut supra meminimus, sibi vendicaverat, ex aliorum bonis sine proprio dispendio liberalis erat, atque suis fautoribus, a quibus ad solum nondum jure sibi assertum evectus erat, plures urbes & castra donavit. Attamen Paulus II. Pontifex sceleratissimos rebellium ausus indignatus, Henricum Regem legitimum tueri constituit, illumque, qui Alphonsi nomine urbi Toletanæ imperabat, anathemate multavit. Cum vero ille spretis Ecclesiæ censuris Cathedralē Ecclesiam, cum sacra peragerentur, intrare præsumeret, omnes Canonici eo adveniente, divinum interrumpunt officium, ac Sacellanum ablegant, qui urbis Rectorem, ne divina turbaret mysteria, rogaret. Hoc facto ex Rectoris satellitibus quidam stricto acinace hunc Sacerdotem feriit, atque ante pedes suos exanimem prostravit. Tanta crudelitate populus acriter concitatus, ex Ecclesia currere, ad arma volare, ac Præfectum, omnesque suos sequaces urbe expellere cæpit. Nihilominus Cives ad Alphonsum stimulante, quo in eum ferebantur, amoris affectu Oratores decernunt,

cernunt, qui immoderatus Religionis Sæcul. XV. A.C. 1466.
 studio abreptos excusarent. Hos tamen Alphonfus durissimis verbis, gravibusque
 minis exceptos redire iussit. Adeo arro-
 gantem agendi rationem cives, ceterique
 urbis incolæ exosi, tandem sapere ince-
 perunt, atque ad Henrici obsequium re-
 versi sunt, pluresque aliæ urbes horum
 exemplum imitabantur.

§. CLXXVIII.

*Alphonfus Regis Castellæ Frater
mortuus.*

Verum repentina mors Alphonso amissa
 recuperandi, ac vindictam exercendi Marian. hist. Hisp. l. 23.
 spatium ademit; quippe iter agens Carde-
 gnosæ, quæ urbs est Abula secundo lapide
 distans, improvise morbo corripitur, ejus-
 que violentia paucos infra dies vivis sub-
 trahitur, fatis functus die quinta Julii.
 Fuit varia mortis hujus opinio; alii enim
 Regem peste eam Regionem jam diutius
 desolante, alii veneno eidem, cum men-
 sæ accumbens trutam commederet,
 propinato extinctum divulgabant. Re-
 belles hujus obitu ad incitas redacti, Isa-
 bellæ Alphonfi Sorori nomen, & Regni
 insignia deferenda censebant; Verum
 illa, cum auctoritate sua seditiosorum fa-
 ctionem quovis pacto honestare recusa-
 ret, oblata respuit, unde nec hi quoque
 coro-

Sæcul. XV. coronam sibi metipsis vindicare amplius
 A.C. 1466. ausi sunt, utpote omni juris specie atque
 obtentu destituti, quare misso ad Henricum Hispalensi Archiepiscopo in Regis gratiam redire tentarunt. Henricus ingenio timidus, quamvis facile rebelles opprimere posset, præteritorum oblivionem eisdem spondit, consensitque, ut Isabella Regni hæres nuntiaretur, rescissis omnibus, quæ antehac in gratiam Joannæ putatitiæ filiæ suæ actitata fuere. Cum vero haud inanis multorum timor esset, ne Joanna cum quodam Principe, cujus potentia Regnum facile novis tumultibus concutere posset, nuptias iniret, suadentibus Henrici Ministris cautum est, ut Isabella Alphonso Lusitaniæ Regi, per decem annos & amplius uxore orbatò, nuptui traderetur, ea tamen lege, ut Joannes ejusdem filius primogenitus sibi Joannam thori sociam seligeret; si vero Isabella Infans sine prole ex hoc conjugio suscepta decederet, liberi, quos Joanna in lucem ederet, in Regno Castellæ succederent. Nec opportunius utriusque partis concordiam redintegrandi medium excogitari poterat; sed nec Isabellæ, minus autem Joannæ placuit consilium. Hæc senescentem aspernabatur Maritum, illa Alphonfi gravitatem verebatur; cum enim illius indolem paulo severiorem compertam haberet, nequaquam tantam sibi,

sibi, quantam Henricus Matri ejus indul-
 sit, licentiam promittere poterat, sed po-
 tius timebat, ne, si semel nuptiali foedere
 eidem juncta esset, ab eo ad emendatio-
 rem vitam reduceretur. Nihilominus am-
 bo Reges habito inter se colloquio du-
 plicis hujus connubii pactis accesserunt;
 Verum rebelles denuo ad arma concla-
 mabant, & seditionem redintegrabant, eo
 usi obtentu, quod Isabellæ libertatem,
 cui vim inferri causabantur, defendere
 velint.

§. CLXXIX.

*Catalani a Rege suo deficientes, &
 Renato Andegavensi addicti.*

Nec serenior in Catalonia, quam in Ca-
 stellæ Regno adspirabat tranquillita-
 tis aura. Equidem Joannes Rex plures
 urbes occupaverat, Petrumque veneno
 sustulerat; nihilominus Catalani in sedi-
 tionis proposito obfirmati alium sibi Regem
 seligebant, ac Renati Andegavensis im-
 perio sese addicebant. Hic cum Neapo-
 litani Regni jacturam resarciendi spem
 sibi affulgere existimaret, lubens oblatam
 acceptat coronam, quamvis senio pres-
 sus, magis privato otio, quam publicis
 curis idoneus videretur. Interim copias,
 quas in Galliis conscripserat, Calabriæ
 Duce filio suo, ac Armeniaco Comite
 Ducto-

Sæcul. XV. Ductoribus in Cataloniam præmisit;
A.C. 1466. Horum conatus elusus Arragonum Rex
 exercitum suum in aciem eduxit, sinistro
 tamen successu; nam Ferdinandus ejus
 filius, penes quem exercitus imperium
 totum erat, tentato proelii discrimine,
 cæsus fugatusque est. Joannes vero dis-
 sipatas Ferdinandi copias in agmen de-
 nuo coegit, ac recenti militia auctus,
 Peraltam urbem cinxit; Dux vero Ca-
 labriæ cum suppetiis decem millium bel-
 latorum sibi a Ludovico XI. submissis
 obsidionales fossas invadit, iisque vi su-
 peratis Gerundam urbem occupavit;
 haud diu tamen delibatae victoriæ gloria
 potiebatur; quippe maligna febris corre-
 ptus, Barcinone Anno millesimo qua-
 dringentesimo septuagesimo eo ex morbo
 e vivis excessit.

§. CLXXX.

*Ferdinandus Neapolis Rex Romanæ
 Ecclesiæ censum pendere renuit.*

Ferdinandus Neapolis Rex, cum Rena-
 tus Andegavenfis Catalanensi bello
 implicitus esset, tranquille Regno suo frue-
 batur; cum vero aliunde Ferrariensis ac
 Galeatii Mediolanensis Ducum, quibus
 fœdere junctus erat, potentia firmare-
 tur, reliquum tributi, quod Ecclesiæ
 Romanæ a die adepti Regni debebat,
 summo

summo Pontifici non solum solvere recu- Sæcul. XV.
 sabat, sed etiam quasdam urbes olim A.C. 1466.
 Neapolis Regno subjectas sibi tradi po-
 stulabat. Exprobrabat Pontifex Regi
 summam ejus ingratitude, ac inter
 utrumque gravis oriebatur dissensio.

§. CLXXXI.

*Regem Franciæ inter & Comitem
 Carolesium mutua diffidentia.*

Turbæ in Gallis per Confluentinam
 ac S. Mauri pacem non nisi suspen-
 sæ videbantur; adhuc enim priitina
 fervebant odia inter Ludovicum Regem
 ac Carolesium Comitem. Hic ægerrime
 ferebat recuperatam a Rege Norman-
 niam: cum autem bello in Leodienses
 moto præpeditus, Regem inde expellere
 non posset, saltem Dieppam eidem eri-
 pere tentavit. Verum Regis solertia
 præventus, Olivarium Marchianum Ro-
 thomagum misit, ut ab ipso de rerum
 statu plenius edoceretur. Rex, qui tum
 in eadem urbe agebat, comperto Olivarii
 adventu causam, ac sui negotii sum-
 mam ab eo sciscitatur; cumque Olivarius
 se Comitis sui nomine Ducem Norman-
 niæ salutatum venisse diceret, Rege di-
 ctis fidem adhibente libere dimissus est,
 ac Britanniam versus iter instituit, invi-
 sitque apud Redones Britannum, Vene-
 tiis

Secul. XV. tiis vero Bituricum Ducem, qui ab omni-
A.C. 1466. bus Galliae Proceribus derelictus priva-
 tam ibidem vitam trahebat. Olivarius
 inde rediens Gergolium transiit, ac de-
 nuo Regi occurrit, a quo Carolesium
 Comitem de ejus amicitia, ac mutuae pa-
 cis desiderio persuasum reddere jussus est.
 Verum omnes istae obsequii, amorisque
 significationes multum a sincero reconci-
 liati animi sensu abludebant.

§. CLXXXII.

*Conventus Parisiensis ad reformandos
 judiciorum abusos.*

Rex perlustrata tota Normannia, quam
 non ita pridem recuperaverat, uni-
 cuique urbi exploratae fidei Gubernato-
 res dedit, postea Claramontense Castel-
 lum ad fluvium Ligerim comburi jussit,
 eoquod Petro Ambaciensi acerrimo foe-
 deratorum rebellium Principi pareret;
 demum copias suas reduxit, atque unice
 eo curas suas intendit, ut Regno suo sa-
 lutaribus legibus prospiceret, ac eluden-
 dis adversariorum insultibus excubaret.
 Hunc in finem Parisiis conventu habito
 Primores Regni convocat, ac ex illis
 unum & viginti seligit, qui corruptelas
 in administranda justitia sensim irrepen-
 tes tollere adlaborarent. Hi ergo die
 sexta decima Julii conventui initium fe-
 cere,

cere, ubi Dunensis Comes, præcipuus hujus consilii auctor, Præsidis officio functus est. Attamen major fuit mediocritas, quæ proponebantur, frequentia, quam ea exequendi prona voluntas.

Sæcul. XV.
A.C. 1466.

§. CLXXXIII.

*Varvicensis Comes Eduardo Regi
infensus.*

In Anglia Varvicensis Comes quidem ob connubium, quod Eduardum Regem cum Craji Cancellarii quondam conjugæ contraxisse meminimus, ira exarsit; verum ejus indignatio ultra modum crevit ob Regis arrogantiam, qua Londinum reducem excepit. Sperabat enim Comes, Regem blando sermone, aut quadam saltem, futili licet, excusatione dolorem mitigaturum. Ast Eduardus re omnino intacta, nonnisi indignis, elatisque verbis factisque Comitem pessime habuit. Equidem hanc agendi rationem nemo unus, Varvicensi minus generosus ferre potuisset. Verum nec hic adversa stetit fortuna, sed nequid injuriæ deesset, summo etiam animi sui dolore idem percepit, quod Rex Neptis, quam Comes habebat, vel ut alii affirmant, fororis pudicitiae turpi ad stuprum sollicitatione insidiatus fuerit; nimirum hoc scelere, postquam ignobilem novæ conjugis suæ familiam

Hist. Eccles. Tom. XXIX. Q Regii

Sæcul. XV.
A.C. 1466

Regii connubii gloria illustrem reddiderat, Varvicensem Domum meretricii infamia obscurare tentabat. Indignis adeo modis fracta Comitis patientia eundem, quem suis manibus evexit, e folio deturbare, ac Henricum carcere liberatum Regno restituere statuit. Hanc in rem præprimis nulli pepercit labori, ut connubium Comitis Carolesii cum Margarita Eboracensi, quæ Eduardi soror erat, impediret; urgebat enim Carolesium Pater ejus, ut tertiam sibi uxorem duceret, eoquod ex duabus conjugibus nonnisi unica ei superstes esset filia. Igitur Comes Eduardo, in cujus perniciem juraverat, omnem spem, quam ex ejusmodi nuptiis amplissimam conceperat, succidere aggreditur, sed demum, fortuna consiliis suis nequaquam adspirante, aliis mediis, quod mente concepit, exequi molitur. Quare ad factionis suæ vexilla vocat utrumque fratrem suum Montis-acuti Marchionem, & Archiepiscopum Eboracensem; quibus etiam accessit Clarentiæ Dux Eduardi Regis frater.

Montaigu.

§. CLXXXIV.

Erasmi Ortus.

Percipiamus Erasmi natalia. Petrus quidam Gerardus, Gaudæ five Gondæ oriundus frequentius invisebat quandam Virgi-

Virginem Elisabetham, vel juxta alios Sæcul. XV.
A.C. 1466.
Margaritam nomine, quæ erat filia cujus-
dam Medici ex Sevenbergana Brabantiæ
urbe, quæ triginta leucis Breda distabat.
Cum igitur hæc familiaritas in utroque
amoris stimulos acueret, brevi ambo illi-
citis indulserunt amplexibus, ac tandem
ex turpi hoc commercio Roterodami
celebris ille Erasmus (*) die vigesima
octava Octobris hoc anno in lucem pro-
diit, quamvis alii Scriptores ejus ortum
ad eandem diem anni sequentis rejiciant.

*Dupin. Bibl.
Script. Ec-
cles. Sæcul.
XVI.*

Is

(*) *Nec adeo de Republica literaria Catholica bene meritus audit Erasmus, ut vel inter Scriptores Ecclesiasticos, aut in Historia Ecclesiæ locum sibi vendicet, minus vero ut sacrilegæ suæ originis memoriam fieri deceret. De illius doctrina commune ubique erat judicium: Erasmus invenit. Lutherus irruit. Erasmus parit ova, Lutherus excludit. Erasmus dubitat, Lutherus asseverat &c. Quæ ex ejus libris expungenda sint, vide apud Possevinum, Verbo. Desiderius. Consule etiam Bellarminum in præfatione ad secundam controversiam. Ast Erasmus summis laudibus a Continuatore fuisse commendatum, videbimus in Libro CXXX. §. XCII. necnon in Libro CXXXI. §. LXXVII. Et sequenti; quo tamen intempestivo encomio famæ suæ parum consuluit.*

Q 2

Sæcul. XV
A.C. 1466.

Is vulgo dicebatur Gerardus Gerardi Filius pro usitato in Hollandia nominandi more; eo tamen nomine tractu temporis commutato *Desiderius* vocari voluit, eo quod juxta patrium idioma, nomen *Gerard* quamdam præferat affinitatem ad latinum verbum, *desiderare*. Præterea sibi cognomentum adjecit *Erasmi*, a nomine græco mutuatum, quod ejusdem ferme significationis est. Usque ad nonum ætatis suæ annum in Ecclesia Cathedrali Ultrajectensi inter pueros sacro cantui addictos clericum agebat, demum Daventriam missus, Moderatore Alexandro Hega studiorum curriculum emensus est. Tanta memoriæ felicitate excelluisse dicitur, ut Terentii comœdias, & omnia Horatii opera, quæ intra exiguum admodum tempus memoriæ mandaverat, iisdem plane verbis recitaret. Decimo quarto ætatis suæ anno utroque Parente orbatus, habitum Canonicorum Regularium S. Augustini in Monasterio Stein prope Gaudam induere compulsus est, septemdecim annos natus, ibidemque Anno Salutis millesimo quadringentesimo octogesimo sexto solemnibus votis se obstrinxit.

HISTO-